



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Capvt Primum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)



SACROSANCTÆ  
DE  
CHRISTO  
PATIENTE  
HISTORIÆ

PROLOGVS.

**P**ASSIO D. N. JESU CHRISTI  
 terribilium omnium terribilissimum dæ-  
 monibus, optabilium omnium optabilissi-  
 mum Hominibus, mirabilium omnium mira-  
 bilissimum Angelis, cum sit mysterium omni-  
 um mysteriorum quæ sunt, fuerunt, erunt, di-  
 gnitate primum, charitate summum, utilitate  
 maximum, stupore & horrore, omni ex parte  
 immensum; seu spectas personam quæ patitur,  
 seu illos, pro quibus patitur, ut tantum hoc argu-  
 mentum, & ego pro dignitate cum salutis fru-  
 ctu appositè exponam, & vos cum pietatis sen-  
 su utiliter expendatis, præmittam hic quoddam  
 totius argumenti tractandi præiudium. Quia  
 ante omne opus debet præfigi illius operis finis,  
 qui licet sit ultimus in executione, est tamen pri-  
 mus in intentione, antequàm hoc opus grande  
 aggrediamur, quod ( ut loquar cum D. Chryso-  
 logo ) *stupent Angeli, miratur cælum, pavet terra,  
 caro non fert, auditus non capit, non attingit mens, non  
 potest sustinere creatura, aestimare nõ sufficit, credere per-  
 timescit.* Antequàm, inquam, hoc inæstimabile  
 Sacramentum explicare auspiciemur, & mihi di-  
 cendi, & vobis audiendi, certus aliquis præfi-  
 gendus

Serm. 78

A

gendus



Finis a-  
liquis  
in Me-  
ditatio-  
ne pas-  
sionis  
præfi-  
gendus

2. Co-  
rinth. 5.  
15.

Gal. 2.

20.

Ioan. 14.

10.

Ioan. 1.

gendus est finis. Quod ad me attinet; hic unus, nec alius mihi erit finis, ad quem velut ad scopum referentur omnia mea, labor, cura, sollicitudo, vox, latera, verba, conatus, studia, contentio omnis, & corporis, & animi; ut primum animum meum, tum omnium, quos habiturus sum, auditorum, reducam ad illum, qui eos sua potentia procreavit, bonitate servavit, charitate redemit, JESUM Christum. Hic finis est meus; vester autem quis erit? nescio quem vobis præfigeris finem, scio tamen quem oporteret vos præfigere, qui & mihi, & vobis omnibus debet esse communis. Quis ille? quem expressit is, qui non prædicabat nisi JESUM, & hunc crucifixum, D. Paulus: hic ad Corinthios scribens: *pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Hic debet esse finis primus, unus, meus, vester omnium qui hoc loco, audituri Christi patientis historiam conveniemus: *ut, qui vivunt, sibi non vivant, &c.* ut quisque possit dicere cum Paulo, *vivo ego, iam non ego, vivit verò in me Christus:* non amplius in me vivit mundus: quia licet sum in mundo, tamen *ego non sum de mundo:* non amplius vivit in me caro, postquam *verbum in caro factum est:* non amplius in me vivunt quæ sunt carnis, & mundi, superbia, invidia, luxuria, avaritia; nulla jam vivunt in me vitia mundi, vivunt verò in me virtutes Christi: castitas, humilitas, mansuetudo, patientia, modestia, temperantia, justitia; vivit Christus in lingua meâ, vivit in manibus, in oculis, in auribus, in mente, in voluntate, in toto corpore, in totâ animâ; totum spirant præcordia Christum: quia quidquid ago, dico, cogito, volo, video, audio, lego, sentio, est propter Christum, Christus suæ gratiæ



gratiæ quasi animæ motibus me agit ad omne bonum, & ad omnes vitales virtutum actiones. Hic finis est cur Christus est passus, hic debet esse & finis omnium, qui audiunt pœnas Christi patientis. Hunc in finem si animum intendamus, & ad eum viribus omnibus contendamus, tum demum quilibet cum Christo dolente dolebit, cum flente flebit, cum timente timebit: tunc animus laxabit habenas omnibus affectibus; amoris, odii, spei, timoris, tristitiæ, gaudii: tunc flebunt oculi, plangent manus, plorabit lingua, suspirabit pectus, conteretur cor, ardebit voluntas, illustrabitur intellectus, turbabitur spiritus, pavefcet animus, stupefcet mens, contremiscent artus, trepidabunt membra, ebulliet sanguis, totus denique commovebitur homo, dum audiet, quæ, & quanta passus est pro homine, DEUS homo. Deinde ut uberiori cum spiritus quæstu, hoc crucientum arcanum percipiatur, necesse est, ut quisque sibi, quia certum, persuadeat firmiter, & sibi imprimat fortiter, quidquid Christus passus est pro omnibus, id passum pro singulis: adeo ut illud beneficium redemptionis, quod toti humano generi est commune, sit cuilibet singulare: ut quisquis in hac coronâ est præsens, non vanè, sed verè cû Paulo possit gloriari: *In fide vivo Filii DEI, qui dilexit me: & tradidit semetipsum pro me:* licet Filius DEI cûm esset in sinu Patris, ab æterno cognovisset, & prævidisset, non futuros plures homines, quàm nos qui hic sumus in hoc templo congregari, eadem fuisset passus pro hoc tam exiguo grege, quæ pro toto hominum genere. Hoc certò credere, est se ad amorem Christi cogere. Imò ut non tantum tibi extorqueas amorem erga Christum, sed & dolorem propter

*Christus  
passus est  
ut pro  
omnibus,  
sic pro  
singulis.*

*Gal. 2.  
20.*



Christus nō  
tantum  
passus  
est pro  
nobis,  
sed à  
nobis.

Christus idē  
qui pro  
nobis  
passus  
Jeroso-  
lymæ  
est in  
Eucha-  
ristia.  
Ser. 177.

Christum, & illud, quia non minus certum, certissimè crede, Christum non modò passum esse propter te, sed per te. Idem qui commisisti culpam, intulisti & pœnam. Quare quidquid criminis commiserunt, vel Judas qui eum prodidit, vel miles qui ligavit, vel Caiphas qui accusavit, vel Pilatus qui condemnavit, vel Herodes qui illudit, vel Romanus qui crucifixit; horum omnium criminum, quia auctor es & reus. Hæ manus, illi manus iniecerunt, & vinxerunt, hi lacerti illum flagellârunt, hi digiti spineum sericum illi contexuerunt, hæc lingua condemnavit, hoc os in illum expuit, hi pedes sanguinem ejus conculcaverunt. Postremum quod hic ad majorem meritorum requiritur cumulum, illud est, ut quisque certò credat, & verè, ut oportet, sibi persuadeat, quidquid hic dicturus sum, non tantum dici de Christo, sed coram Christo. Adest hic in arâ, qui ab annis 1600. & qui excurrunt, passus est Jerosolymæ. Itaque omnium ora, atque oculi, sed multò maximè animi convertantur ad Christum in arâ præsentem. Ille & me audit, & vos spectat, & quid ejus causâ acturi sitis, expectat, & quid cogitatis, intelligit, & quid optatis, percipit: ut qui teste D. Chrysologo, *Videt abdita terrarum, qui cordis intuetur occulta, cui omnia sunt nuda, quæ recta sunt omnibus.* Ad sunt ergo illi ipsissimi isti oculi, quibus *lachrymatus est IESVS*: quibus cum respiceret Petrum, flevit amarè: illi oculi, ut oculi nostri deducant exitus aquarum, in nos sunt intenti. Ibi sunt pedes, quibus currendo pervicos & castella, te ovem perditam quæ sivit. Ibi sunt manus, trabalibus pro te clavis terebratæ, & cruci affixæ; illæ nunc ad te extenduntur, ut à cæno vitiorum te eripiat, & de stercore



stercore erigat. Ibi est lingua illa, quæ eructavit  
 tot verba vite aeternæ. Nunc aperit os suum, ut tibi *Ioan. 6.*  
 loquatur ad cor. Totus nobis hic adest JESUS, *67.*  
 ut hoc loco, & hæc horâ se totum nobis exhi-  
 beat JESUM. Si ambigitis, an hic adsit, audite ip-  
 sum loquentem per os Isaïæ, quod ipsum jam lo-  
 quitur ore suo: *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Isa. 9.*  
*Ego ipse, qui ante 1600. annos, & qui supersunt,*  
 propter vos homines, & propter vestram salu-  
 tem descendi de cælo, & incarnatus sum de Spi-  
 ritu sancto, & homo factus sum, *Ecce adsum: ego*  
*ipse, qui pro vobis Jerosolymæ à Juda proditus, à*  
 militibus vinctus, à Judæis accusatus, à Caipha  
 condemnatus, à Pilato flagellatus, à militibus  
 crucifixus fui, *Ecce adsum: ego ipse, qui post in-*  
 credibilia in te collata beneficia, post innumera-  
 bilia propter te tolerata supplicia, post 33. anno-  
 rum immensos labores, post trium horarum in  
 cruce immanes pœnas inclinato capite tradidi  
 spiritum, *ecce adsum.* Adsum, ut sim dux erranti,  
 lux caliganti, robur deficienti, panis esurienti,  
 fons sitiienti, vita morienti, salus pereunti. *Ecce*  
*adsum ut illustrem intellectum, reficiam memo-*  
 riam, inflammem voluntatem, corroborem spi-  
 ritum, expiem conscientiam, innovem animum. *Matt. 11.*  
*Adsum raucis præ clamore faucibus invitans, ve-*  
*nite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego*  
*reficiam vos.* Quæ cum ita sint, cum hic adsit inter  
 omnia princeps argumentum fidei, hic vires o-  
 mnes exere, Fides! tu inquam Fides, nobis in sa-  
 cro sancto Baptismatis fonte per Spiritum san-  
 ctum infusa, quantum potes, tantum aude. Si au-  
 des credere, poteris credendo nihil non obtine-  
 re; crede non mihi sed Veritati: *Si potes credere, Marc. 9.*  
*omnia possible sunt credenti.* O si possim hoc à te, *29.*



Matt. 16.

Isa. 60.

Ioan. 15.

Apoc. 11.

Opus  
Spiritus  
S. ope ad  
omne o-  
pus ho-  
minum.  
1. Cor.

12. 3.

Rom. 8.

15.

quisquis hic ades, impetrate, ut credas Christum hic presentem eadem fide, quam Petrus, cum hæc enuntiaret; *tu es Christus Filius DEI vivi*: hoc si nunc ita credas, *tunc mirabitur, & dilatabitur cor tuum*: tunc sperabis, amabis, dolebis, flebis, irasceris, misereberis, supirabis, ardebis, denique omnibus velificaberis affectibus. Quid dubitatis modicæ fidei? credite, adest Veritas: confidite, adest Misericordia: sperate, adest Potentia: audete, adest Fortitudo: timete, adest Justitia: amate, adest Bonitas: adorete, adest Majestas: sed quia tu dixisti: *sine me nihil potestis facere*, unum jam nobis necessarium est, ad te confugere. O Christe, qui dixisti, *ego sum α, & ω, principium & finis*: hodie nobis principium dicendi est de te, finis erit, propter te, ut sine fine vivamus in te. Sed frustra intendimus nos illum tam arduum finem, videlicet, tibi soli vivere, qui es principium omnis vitæ, nisi mittas e cælo ad nos, & immitas in nos illum Spiritum, quem tu cum Patre ab æterno spirasti, & per quem in tempore, dum conceptus es, cœpisti ipse spirare; es enim conceptus de Spiritu sancto. Nam teste tuo servo Paulo, *nemo potest dicere, Dominus IESVS, nisi in Spiritu sancto*. Si non possit te os nominare, multo minus poterit te cor amare sine Spiritu sancto. Ad te ergo ô sancte Spiritus, qui à Patre, Filioque procedis, cum fiducia accedimus; & ut excusso spiritu servitutis, accipiamus *Spiritum adoptionis filiorum*, veni sancte Spiritus. Ecce tenebræ sunt super universam terram, sumus omnes filii tenebrarum, ut ergo abicientes opera tenebrarum, induamur arma lucis, ut fiat in nobis lux, *veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tue radium*. Ecce sine te torpemus, jacemus, frigemus; ut autem

tem



rem sumus Spiritu ferventes, & serviamus in novitate Spiritus, ut renovemur spiritu mentis nostræ, ut simus cum Christo unum corpus, & unus Spiritus: veni sancte Spiritus. Quia sine tuo numine, nihil est in homine: nihil est gratiæ in animo unde mereatur, nihil est virium in corpore, unde operetur, nihil est vitæ in toto homine, unde moveatur, sine tuo Numine. Expectat te memoria, ut possit meminisse eorum, quæ passus est JESUS: expectat te intellectus, ut à te illuminatus, cognoscat, quanta passus sit Christus: expectat te voluntas, ut accendatur illo igne, quem venit in terras mittere Christus. Ergo veni sancte Spiritus, ut repleamur omnes Spiritu sancto, ut te veniente ad nos, nos quoque perveniamus ad illum, à quo tu processisti, JESUM Christum Dominum nostrum.

## S C E N A

# C H R I S T I

## P A T I E N T I S

### I N H O R T O.

## §. I.

*Iter ad Hortum.*

**A**uxilio æterni Patris, qui in principio creavit Cælum & terram; favore DEI Filii, cui data est omnis potestas in cælo & in terra: gratia Spiritus S. qui replevit orbem terrarum, & qui, ut spero, datus est nobis per illum, qui tradidit semetipsum pro nobis, ordior magnum illud opus; hoc est, DEI immortalis in corpore mortali patientis tragediam: & inde incipio de eo loqui, unde & Christus cœpit pro nobis pati. De quo ita Evangelista: Hymno dicto, egressus est IESVS cum discipulis suis.

Gen. I.

Matt. 28.

Sap. I. 4

Matt. 26.



secundum consuetudinem, trans torrentem Cedron, in  
 Marc. 14. montem Oliveti, & venit in villam cui nomen Gethse-  
 Luc. 23. mani, ubi erat hortus, in quem intravit ipse, & discipuli  
 Ioan. 16. eius, quibus ait: sedere hic, donec vadam illic, & orem;  
 & assumpto Petro, & duobus filiis Zebedae, cepit con-  
 tristari.

Tandem aliquando post 50. prope saeculorum  
 spatium, aderat expectatissimum illud tempus,  
 quo magnus ille bellator, quem pater huc mise-  
 rat, ut expoliaret principatus, & potestates, palam tri-  
 Colos. 15. umphans illos in semetipso, debebat prodire ex um-  
 bra in solem, ex latebris in conspectura, ex do-  
 mesticâ palæstrâ in latè patentem campum, præ-  
 lia Patris præliaturus. Quapropter Patre classi-  
 cum ex alto canente, datoque ad pugnam signo,  
 ad iter se accingit. Eja Christe, progredere, una  
 Cant. 7. tecum congregimur; en patet hortus: *Veni dile-  
 cte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Ve-  
 niat dilectus meus in hortum suum.* Confliturus  
 Pauci hortum sibi delegit in campū, quia in horto ho-  
 Christi mo deo primam indixerat bellum. Sed quor ha-  
 comi- bet nostri dux belli, Princeps pacis, vel comites  
 tes in itinere, vel testes in certamine & dum *Rex iturus*  
 Passio- *committere bellum adversus alium regem*, regno egre-  
 ditur, non nisi comitatissimus progreditur. Præ-  
 Luc. 13. cedit densum humeris agmen, peditum cohortes,  
 41. equitum turmae: stipant ejus latus viri Prin-  
 cipes, primique regni procures; sequuntur car-  
 penta, currus, quadrigae, & calorum, ac lixarum  
 greges. Liceat hic Historiæ sacrae profanam inte-  
 xere. Cum olim M. Tullius Cicero, jussu Clodii,  
 in exilium amandaretur, tanta fuit commotio  
 populi, is luctus civium, ea totius urbis mœstitia,  
 & squallor, ut omnes habitum mutaverint, Ro-  
 maeque egredientem viginti millia civium, pullo,  
 nigro-



nigroque in mœroris signum amiētū, fuerint comitari. Ecce hic, non pro unius regni, sed totius mundi, non pro aliquot civium, sed omnium hominum, non pro temporaria incolumitate sed æternâ salute, bellum adoritur Rex regum; ubi luctus noster? quis ideò lugubri induitur habitu, aut capillatior solito incedit? quis vel euntem comitatur, vel præeuntem sequitur? tres, nec plures, tantus Dominus recenset in via socios. Quam est solitarius in terris, cui millia millium, & decies centena millia adsistunt, & ministrant in cœlis. Sed si consilium est præcedentem sequi, antequam pedem inferamus in DEI Patientis cruenta vestigia, duo necesse est nobis ob oculos proponamus, & altè mentibus imprimamus. Alterum est, Patris, Filium tam severè plectentis Justitia; alterum, Filii pro nobis tam benignè patientis Clementia. Illa provocabit nos ob commissa scelera ad dolorem; hæc ob remissa ad amorem incitabit. Atque ita hisce duobus affectibus, dolore, & amore, duo hæc assequemur, quæ David tam impensè nobis commendat, tanquam compendium totius perfectionis: *declina à malo, & fac bonum.* His duobus pedibus, sinistro doloris, dextro amoris, sequemur te ô Christe, qui es via, ut consequamur te, qui es vita. Unaque hæc erit vox singulorum, quæ fuerat Ethai ad Davidem: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus rex, quia in quocunque loco fueris, sive in vita, sive in morte, ibi erit servus tuus.* Stat animo, quod Ethai ad Davidem, & mihi ad te, ô fili David, idem ut dicere, sic & facere; ubicunque fueris, sive in horto Gethsemani sudans, sive in domo Caiphæ tacens, sive in aulâ Herodis contumelias sustinens; sive in prætorio Pilati flagella suscipiens,

Ps. 36.

27.

2. Reg.

15. 21.



piens, sive in monte Calvariaë moriens, denique in quocunque loco fueris, ibi erit & servus tuus; ut sim eorum, quæ patieris, non tantum otiosus spectator, sed studiosus imitator: non nescius, si sustineamus, & conregnabimus.

2. Tim.  
2. 12.

## §. II.

## Pavor Christi.

**Matt. 6. 6.** **C**œpit pavere: pavor est referre, & horror audire, *cœpit pavere*. Tu Adam, cum olim audires in horto DEUM intonantem auribus tuis hanc vocem; Adam, ubies? respondebas timens, ac tremens: *Vocem tuam audivi in Paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me*. Malè absconderis ab eo, qui novit *abscondita cordis*; non est aliquid absconditum, quod non manifestetur ei, qui *videt in abscondito*. Prodi ô Adam è latebris, & accurre, quia ut tibi deus succurrat, te quatit. Non hic ambulat in Paradiso, ad auram post meridiem iudex, crimen tuum puniturus, sed ambulat in horto Gethsemani noctu, frater tuus pro crimine tuo puniendus. Ne amplius dicas, *timui*. Quid times timentem? timet ipse, ut securus sis tu. Ad sis hic illius timoris testis, qui fuisti auctor. Quis nostrum non paveat, & timeat; si timet ille, quem timent omnes, & omnia, quæ timentur; si ille qui est mors mortis, & morsus inferni, morte imminente pertimescit, & pavet, quis nõ semper sit pavidus, cum semper mortis periculo sit obnoxius? Age Domine, nonne ad hoc venisti, ut mortem moriendo destrueres? nonne & hoc futurum prædixeras, si spontè factus es obediens Patri, & non te, ut morereris, cœgit necessitas, sed sola persuasit charitas, quid, cum jam mori oportet, quæreris? quid paves? nonne tu  
docue-

Timor  
Christi  
& ejus  
causa.



docueras, & instruxeras servos tuos, ut non timerent eos, qui occidunt corpus, quia usque ad animam non pertingit occidentium crudelitas? sed causam hujus pavoris investigat his verbis D. Laurentius Justinianus, *Quid est hoc Domine? contristatione, & vere paves? nunquid contristatur, per quem contristati recreantur? nunquid contristatur gaudium? pavet fortitudo? timet virtus? gloria tadium patitur? beatitudo denigratur? confunditur Majestas? claritas obscuratur? infirmatur sanitas? & latitudo coarctatur? armatorum neminem video, nullum cum gladiis, & fustibus venientem cerno? & times Domine? Christiana militia dux esse cognosceris, certantibus adversus aereas potestates praees, & paves? Dominus exercituum diceris, & es; gladium non pacem venisti mittere in terram, & praeliari formidas? si bellorum princeps trepidat, si certamen ille, qui praesidet, inire veretur, quid ceteri agent milites? vellem utique pavoris hujus scire causam; vellem tadium tui nosse mysterium. Non enim militibus tuis inferiorem te iudico. Illos quidem agnosco, vicisse regna, imperia curvasse, tolerasse supplicia, extinxisse ignem, seras domasse, & mortem ipsam nullatenus formidasse, &c. in martyribus miraculum, in te vero fuisse dicimus documentum. Erexit plane caelestis virtus supra naturae limites, fidei confessores, ipse autem mediator relictus, pavere voluit, & tedere. Agnosce igitur, o homo, Salvatoris tui dignationem, se curvavit ad te, ut elevaret ad te, humiliavit se propter te, ut te exaltaret in se. Sic ipse. Alias nos hujus pavoris causas investigemus. Omnia quaecumque Christi seu animo, seu corpori occurrebant, immensum quendam pavorem ei incutiebant. Primum, nox erat, peccati, mæroris, timoris, & tadium symbolum; quia obscuritas, mala immanè accumulata. Nox ergo praesens horrificis suis umbris, tribulationem imminentem*

Matth.

18. 28.

De agone Christi.

Cap. 1.



Ps. 21. 12

nentem atris coloribus graphice adumbrabat: in primis sui à discipulis separationem, juxta verba sacri metri: *Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet.* Nox tenebrarum horrore circumfusa, quæ jam umbrâ magnâ involverat cœlum, & terram. Nox struendis insidiis, conficiendis prodicionibus, cōsciscendis sceleribus peropportuna. Iple autem in horto, hoc est loco à turbis secreto, arbitris remoto, & solitario, & ut silentii, ita & formidinis plenissimo consistens, omni pavorum genere cœpit foris agitari, intus percelli, & quidem usque ad convulsionem, compressionem, & propemodum suffocationem cordis, viriumque, ac animi defectio- nem; ea vi, imperu, vehementia, ut non uni ipsi, sed omnibus hominibus mortē adferre potuissent, tot in unum congesta acervum timoris argumenta, nisi divina virtute tultus fuisset. Ita ut tunc illud Jobi appositè usurpare potuerit: *super bac expavis cor meum, & motum est de loco suo.* Ut porrò mortem, sibi paucas post horas oppetendam, atrocius reformidaret, sivit animæ suæ, ut vitam tam impensè diligeret, tantoque studio eandem conservare, ne morte extingueretur, satageret, quanto alius nullus ab omni hominum memoria. Quanto autem fortiori amoris vinculo anima, & corpus Christi erant inter sese copulata, tantò & acerbior, & violentior erat eorū separatio. Ad hæc, cum Christi seu anima, seu vita, & pretio major, & dignitate præstantior, & æstimatione præcellentior fuerit, quàm omnes omnium mortalium in unum cumulatae animæ & vitæ; Inde conficitur, plus horroris, pavoris, vel doloris, ejus jacturâ Christo peperisse, quam omnes mortales simul conflati unquam perceperint.

Job. 37.

rint.



rint. Ex hoc pavore animi cœperant & contremiscere omnia membra corporis, & exhorrescere omnes vires animi. Collidebantur ad se invicem genua, concutiebantur omnes artus, trepidabant omnia ossa, ipsomet hoc attestante; *contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia*

*ossa mea* Imò quod Eliphaz Ehemanites apud Job, sensisse se profiteretur, modò, potiori jure Christus dicere potuisset, cum ita paveret: *in horrore visionis nocturna, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt.*

Sic ergo Filius DEI cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu ferè medium iter haberet, ex tot feralibus quæ menti ingerebantur, spectaculis tremefactus, oculis attonitis, nunc suspicit cœlū, nunc despicit terrā, nunc aspicit discipulos, nunc circumspicit per gyrum adjacentia loca: caput, manus, adeoque totum corpus, partes in varias hinc, inde versat, pedibus inquietis, motus animi paventis, & variis fluctibus agitati prodit: tremunt membra, trepediant artus, expalescit vultus, anhelat pectus, palpitat cor, horret animus, pavet spiritus, silet lingua: unde à cœnaculo, usque ad hortum, nec verbum protulisse commemoratur. Proh DEUS immortalis! ubi trepidat Fortitudo, nutat Constantia, timet Potentia, homo sine metu est securus? pavet hominum Salvator, & ridet homo peccator? Tu, qui tot commisisti timenda, non times, ô si quis hic ades, quem conscientia ut nocentem accusat. Ratio ut reum

condemnat, nisi sis sine vitâ truncus, sine sensu stipes, toto & contremisces corpore, & exhorresces animo, si hæc pauca, quæ ex me audies, pensiculatius expēdas. Si sis expers divinæ gratiæ, es hæres æternæ pœnæ; jam verò, ut ad locum

illum

Ier. 23.

49.

Iob. 14.

13.

Sap. 18.

14.

timen-

dū no-

bis ob

pericu-

la inte-

ritus.



illum pervenias, ubi æternus æternum ardeas, scis quantum requiratur spatium temporis? quo nihil nec est, nec esse potest contractius, unum momentum. Scis quantum te inter, & tartarum sit spatium loci? quo nec est, nec esse potest angustius, unum punctum. Si ergo tibi in hoc statu in quo vivis, si hoc loco, quo consistis, si hoc ipso momento quo spiras, spirare desinas, in puncto ad inferna descendes? ita ut illud ipsum momentum, quo extremum exhalas spiritum, sit tibi futurum infaustæ æternitatis exordium. A quo autem dependet, ne tantum tibi, quantum majus timeri non potest, malum accidat? ab illo quem Pater constituit Judicem vivorum & mortuorum. Ille autem Judex tuus, est hic in conspectu tuo. Ille est de quo Paulus: *Horrendum est incidere in manus DEI viventis.* Si ille semel manū, quā te comprehendit, subtrahat, jam in ictu oculi, patieris omnia quæ timeri possunt, timenda, & necdum times? ille, qui cum propter te voluit pati, cœpit pavere in horro, vult ut & tu hac hora paveas in hoc templo; & sic paveas, ut toto corde doleas; & sic doleas, ut confitendo peccata tua etiā hodie deleas, & sic deleas, ut in gratiam ejus redeas. Quæ omnia nisi facias hodierna die, fortè hac nocte animam tuam repetet à te: fors priusquam pedem intuleris in domum, invenies te detrusum ad tartarum. Jam nunc, hac hora, hoc loco, ex ore Ezechielis, velut ex atra nube detonat Judex tuus. *Afflictio ecce venit; finis venit, venit finis. &c. venit contritio super te, venit tempus, prope est dies occisionis: nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te, &c.* Et scieris quia ego sum Dominus percutiens. Cavete, pavete, horrete: quis scit si Deus voluerit aliquem ex hac corona, hac

Heb. 10.

31.

Ezech.

75. 6.



hac hora, hoc loco. ex hoc pulpito, voce mea admoneri, & terreri. ut hodie à DEO averſus, ad eum ſe convertat? imminet vobis mors, incumbit vertici noſtro immenſum illud pondus æternitatis, ut morientes conterat: ſub pedibus veſtris dilatavit infernus animam ſuam, ut absorbeat animas veſtras: adeſt in ara Judex, clamat, hortatur, invitatur: *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Minatur divinæ juſtitix præco: *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibravit, arcum tetendit.* O Domine, ſatis eſt ad metum, & audire vocem metuendi, *Timor, & tremor venerunt ſuper me.* Ego ergò propter iram tuam, & iniquitatem meam, toto & corpore tremens, & animo pavens, fugio ad te, qui cœpiſti in horto pavere pro me. Immenſum timeo, immanè doleo: timeo quem offendi: doleo quia offendi. Timeo quia te provocavi ad iracundiam, doleo, quia non placavi iratum. O Pietas parce impio! ô Miſericordia, aspice miſerum! ô Clementia, admitte deteſtanti ſua flagitia. Noli averti à me, dum ego convertor ad te. Fateor, filius ſum mortis: ſed tamen quantum timeo mortem, tantum ſpero & vitam. Quia tu vita vitæ meæ proteſtatus es per Prophetam: *Nolo mortem morientis, revertimini, & vivite.* Si nolis mortem, ſi cupis me vivere, nunc ſine metu concinam, *non moriar, ſed vivam.*

## §. III.

*Chriſti triſtitia.*

**C**æpit contriſtari, & mœſtus eſſe. Sollicito Chriſti, quo in itinere percuffus fuerat, pavore, ſucceſſit immodica triſtitia: ſic ut finis unius mali, initium eſſet alterius. Ingreſſus itaque hortum, ſola dolorum ſegete fertilem, implevit eum ſuſpiriis,

Ier. 5.

14.

Ioel. 2.

12.

Pſ. 77. 7. 13.

Pſ. 54. 9

Ezech. 18. 32.

Pſ. 117.

16.

Matt.

26. 73.



suspiriis, & perfudit lachrymis, mœstoque vultu, ac dilectis præ mœtore oculis, nunc Petrum, nunc Jacobum, nunc dilectum sibi discipulum Joannem intuens, volebat loqui, sed loquendi facultatem adimebat intemperans dolor. Vastus enim dolor vult silentio honorari. Iterum, iterumque, timore pavidus, dolore attonitus, tristitia obrutus, discipulos aspicit, & nunc sursum ad cœlum, nunc deorsum ad terram, nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum oculos circumferens, manibus plangens, corde ingemiscens, oculis plorans, tandem magno cum singultu, hiulcâ voce, ac crebris gemitibus interrupta lugubriter exclamat: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* O Petre, ô Jacobe, ô Joannes viscera mea, deliciae meae, olim in monte Thaboræo, spectatores gloriae meae, nunc in horto testes meae tristitiae. *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me.* Audit hæc Petrus, & horret; audit Jacobus, & stupet; audit hæc Joannes, & præ dolore deficit. Ad hæc verba stant singuli attoniti: uti amici Job, qui septem diebus, luctuosissimam ejus sortem solis lachrymis, suspiriis, stupore, silentio deplorârunt. *Videbant enim dolorem esse vehementem.* Ita & hic, nemo unus è discipulis vel verbum profert, quilibet silet, singuli stupēt. *Videbant enim dolorem esse vehementem.* Erat quippe tristis usque ad mortem. Hoc est, ex viva, & vehementi omnium quæ mihi imminet, & mente circumspicio, malorū apprehensione, sic angor, ad eò tristior, ac si jam nunc morerer: sustineo agoniâ, & dolores mortis, patior angustias morientis. Spiritus, & vires me penitus deficiunt: pavore tantum non exanimor; angoris violentia, & mœroris vehementia vitam pene eripiunt, & spiritum intercludunt.

O ani-

Ps. 54. 5.

Job. 2. 12



O anima mea! vide ut tristis est anima Christi usque ad mortem, quia tu declinas à viâ arctâ quæ ducit ad vitam, & ambulas per viam latam, quæ ducit ad mortem. Arescit fons ille, ex quo quidquid est lætitiæ in hominibus, vel gaudii in Angelis, vel exultationis in cœlo, & terra, plenis rivis exundat. Nunc ergò vale ô lætitia, & gaudium; claudere ô *domus convivii*, ibo ad hortum Gethsemani, hoc est, ad *domum luctus*. Valete ô strata eburnea, *Lacrymis stratum meum rigabo*: marcescite rosæ, crescite spinæ, silete ô tympana, & cytharæ, & organa, non amplius personent illa verba: *Relinquamus ubique signa lætitiæ*, non est conveniens luctibus ille sonus. Accede tristitia, tu esto mihi conviva in mensa, comes in itinere, dux in via; aperi oculos fletibus, cor gemitibus, fauces singultibus, pectus suspiriis, manus planctui, linguam ejulatu. Doles mi JESU, & tristaris coram tribus discipulis; sed an tantum propter illos doles? Nunquid & ego, mi JESU, unus eram ex illis, propter quem, & super quem dolebas? nonne ideo tristis fuit anima tua, quia peccabat anima mea? & cum peccasset, non erat tristis usque ad mortem, sed illos imitabatur, *qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*? ô mala de malis, & pessima de rebus pessimis lætitia! Post tantam illam Christi tristitiam, ob hominum peccata conceptam, deberent omnes per totum orbem diffusi homines, propter unicum tantum, & illud minimū ab homine uno commissum peccatum, aded dolere, tantumque tristari, ut præ tristitiæ magnitudine oporteret eos tundere pectus, evellere capillos, laniare genas, indui sacco, conspergi pulvere, jacere in cinere, rugire à gemitu cordis sui, implere totum aërem querulis la-

B

mentis

Eccl. 7 3

Ps. 6. 7.

Sap. 5.

Prov. 2.

44.

*Tristitia  
maxima  
concupiē-  
da ob  
peccatū  
minimū.*



*Jerem. 9. 1.* *Mich. 1. 1.* mentis, clamari flebili voce, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lachrymarum, & plorabo noctes & dies? & cum Michæa, Super hoc plangam, ululabo vadam spoliatus & nudus; faciam pianctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* Hunc in modum par esset, quotquot in orbe sunt mortales, tristari, & lugere, propter unicum, & minimum quod potest concipi, commissum peccatum. Ubi jam tua tristitia, post scelera numero plurima, gravitate maxima? tristis est anima Christi usque ad mortem, qui tamen *peccatum non fecit: in peccatis concepit te mater tua; in peccatis natus es totus.* Peccasti super numerum arenæ maris; peccata tua ascenderunt usque ad cælum coram Deo. Quænam est lex Dei quam non violasti? quod mandatum quod non sprevisi? quod consilium, quod non rejecisti? quodnam in toto corpore membrum, quod non fuit tibi peccandi instrumentum? denique à planta pedis, usque ad verticem capitis non est in te sanitas, quia non est nisi iniquitas; ubi nunc post pœnitenda, pœnitentia? pœnitentia? imò totus effunderis in lætitiâ, salis pedibus, plaudis manibus, studes exhauriendis calicibus, per diem helluaris, per noctem debaccharis, ducis in bonis dies tuos. Quid est quod exspectes post tot bona in vita nisi illud triste divitis Epulonis, *Recordare, quia recepisti bona in vita tua, &c. ideo tu cruciaris.* Audite, delicatuli, quorum Deus venter est, qui per noctem volutimini inter plumas, per diem ambulatis inter rosas, qui vitam totam traducitis inter delicias, quibus post infinita flagitia, non tantum horror est agere pœnitentiam, sed timor vel audire loquentem de pœnitentia. Audite, horrete, contremiscite, quia qui loquitur est Veritas, qui mi-  
natus

*Luc. 16.*

*25.*



natur est iustitia, qui, quod minatur, exequetur, est Potentia; hic dicit filiis mortis, Filius Dei, qui tristis est usque ad mortem: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Post tale tonitru adhuc dormis? necdum evigilas? O tristissime Jesu, ego, ego ille sum, qui ex corde tuo extorsi tot gemitus: ego qui expressi ex ore lamenta, ego qui elici ex oculis tuis lachrymas. Sed & idem abstergam omnem lachrymam ab oculis tuis. Scio, quia *gaudium tibi est super uno peccatore pœnitentiam agente.* Peccator sum, fateor, peccavi in caelum, & coram te. Pœnitet, me odisse Patrem, deseruisse Dominum, offendisse DEUM. Non ergo sit amplius tristis anima tua usque ad mortem, sed tristitia tua vertatur in gaudium; quia gaudium tibi est super uno peccatore pœnitentiam agente, & gaudium illud nunquam tollam à te, quia nunquam offenderis à me.

Luc. 13.

Luc. 15. 6

Ibid.

## §. IV.

*Fons tristitia salientis in cor Christi.*

**H**Æc Christi tristitia fuit vehementior, & ferocior, quam fuerat, vel esse poterat, secundum communem DEI potentiam. Primum ex parte objecti materialis: quia Christus doluit de peccatis omnibus hominum omnium simul sibi repræsentatis, & velut in unum acervum conflatis; & modo intelligendi absolutissimo, & perfectissimo perceptis, ac expensis. 2. Ex parte objecti formalis; quia nemo unquam sic cognovit, sive Majestatem DEI offensi; sive, qua offenditur, malitiam peccati, 3. Ex modo cognitionis; quia nemo tam perspicuè, distinctè, tantaque animi seu attentione, seu contentione, singula quæ ad testandum peccatum possunt permovere, confi-



deravit. 4. Ex parte principii; quia nemo tanta charitate DEUM dilexit, aut etiam colere, divinumque jus inviolatum servare studuit. Quanto autem impensius aliquem diligimus, tanto acerbius de ejus malo tristamur. Unus Christus, homo DEUS, amore condigno, hoc est infinito, DEUM prosequabatur. Igitur necesse fuit, ut ipse de peccatis hominum, per quæ infinita, certo modo, DEO irrogatur injuria, infinite quasi & ad mortem usque tristaretur. Quapropter permittebat sibi proponi, & velut in patentissimo theatro palam menti suæ exponi mala omnia sive præterita, sive præsentia, sive futura. I. Præterita; quia respiciebat immensam illam hominum multitudinem, qui à mundo condito, usque ad illam horam, ô dolor! æternum perierant, & in illo fumoso tartarorum barathro intolerabilibus cruciatibus torquebantur. Itaque vastissima illa inferorum vorago, quasi sub pedibus ejus patefacta, hiabat, ibique percipiebat horrendos illorum è mediis tormentis ululatus, blasphemias in DEUM querelas, ac plena desperationis lamenta. O quanta & quam ferox erat hæc tristitia Christo, singulas animas sic amanti, ut pro qualibet promptissimus fuerit pati ea omnia, quæ passus est pro omnibus; ac simul consideranti, omnes illas animas potuisse beneficio sui sanguinis pœnis exemptas, æterna gloria donari! nonne post interitum, æternamque tot animarum mortem, meritò erat Christi anima tristis usque ad mortem? A præteritis oculos contorquebat ad præsentia; hic iterum tragica, funestaque proponebatur scena. Percipiebat mundi statum præsentem in præsentissimo æterni exitii periculo; utpote quæ cognoverat, tam fœda, ac tetra ignorantia

Mundi  
status  
miserri-  
mus cū  
Christo  
patere-  
tur.

rantia



rantia nocte circumfusum, tam abominanda scelerum colluvie, tam deploranda errorum caligine involutum, ut paucissimi, hoc est, soli Judæi, DEUM agnoscerent, & inter illos vix ulli cognoscerent, aut saltem cognitū, ut par erat, colerent: sic ut verè dici potuerit de illo tunc nunquam satis deplorando statu mundi, illud regii Vatis, *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Nec minus vere illud Innocentii Pontificis, *Tota vita*

Ps. 13. 2.

De con-

tempta

mundi.

Ier. Thr.

1.

Chrysologus: *Ierosolyma varia se contaminatione*

Ser. 158.

*perfuderat; sacerdotes profanaverant sancta, & peccata vendentes, in questum, veniam, pietatemq, converterant: Scriba doctrinam coelestem, scientiam salutarem, vitale magisterium, in seivum sensum, in perfidia lapsum, in letale vaniloquium commutarant. Hinc est quod Christum nolunt nasci, vivere timent: quia noverant se mox ignominia dandos, tradendos opprobriis, ejiciendos templo, privandos sacerdotio, oblationum munere vacuandos.*

Hinc Christus præfagus omniū, quæ mox passurus esset à populo sibi tam dilecto, & præ omnibus electo: videns se à cælo, à terra, ab Angelis, ab hominibus, à Patre, à Matre, à discipulis, ab omnibus desertū, mœstissimo ad discipulos vultu converso, *tristis est, ait, anima mea usq, ad mortem.*

Omnes nunc cōspirantibus studiis in perniciem meam conjurabunt, concurrent ad me affligendum reges, judices, gubernatores, summi Pontifices, Scribæ, Pharisei, Aulici, milites, gentiles, Judæi: hinc *tristis est anima mea.* Rex Herodes, & curia ejus subfannabunt me, Judex Pilatus condem-



nabit, Annas, & Caiphas, Summi Sacerdotes, reprobabunt, Scribæ, & Pharifæi accusabunt, milites comprehendent, carnifices flagellabunt, & cruci affigent, unus Apostolorum me tradet, alter negabit, omnes me deserent. *Tristis est anima mea.* Hoc caput configetur spinis, evellentur capilli, genæ a lapis percutientur, brachia luxabuntur, manus & pedes terebrabuntur clavis, dorsū, totumq; corpus vulneribus conficietur. *Tristis est anima mea.* O qui tum dolores animi! at saltem qui post ejus mortem futuri sunt homines, si salutem consequantur. Sed illud multò maximè dolorem ejus accumulabat, quod præfagiret tot, ac tam enormia patranda olim scelera, & quod sequitur, tot perituros, perinde ac si non fuisset passus: quin etiam vel ideò peccaturos omnes gravius, quò ipse tulisset graviora. Hæc omnia simul conglobata, præterita, præsentia, futura, sic animam ejus tristissimam omnibus machinis, totis viribus tantoq; impetu adoriebantur, ut præ vastissimi doloris vehementia, ac mole, quæ toto pondere in eū incumbibat, vivere nequivisset, nisi virtus aliqua, humanâ major, vitam sustentâisset. Et tu auctor tantæ tristitiæ illi, qui est gaudium universæ terræ, & lætitia totius cœli, non tantum non es tristis usque ad mortem, sed nec usq; ad fletum. Quid dico; es lætus usque ad risum; imò audes gloriari in malitia, & jactare illa verba, quæ impius ille, *Peccavi, & quid accidit mihi triste?* itane verò? an ergo quidquam fingi potest tristius peccatori, quàm peccasse? exutus es DEI gratiâ; quod cum dico jam tibi accidisse omnia, quæ timeri possunt tristia, Audi, quid tibi acciderit triste; & ad audita tinnient tibi binæ aures, si quæ in te supersit fides. Peccâsti, ergò jam amisisti jus ad cœlum,

*Eccl. 5.*  
4.

Peccati  
damna.

lum,



lum, spoliatus es omnibus præsiidiis ad regnum  
 cæli, virtutibus, meritis, suffragiis Ecclesiæ, com-  
 munionem Sanctorum, tutela Angelorum, prote-  
 ctione DEI. Peccasti, ergo jam accidit tibi tan-  
 tum mali, ut licet omnes, quotquot unquam fue-  
 runt, vel erunt tyranni, omnia, quæ ingeniosa in  
 pœnas crudelitas posset excogitare tormenta, ti-  
 bi infligerent: licet omnes omnium sæculorum  
 homines in tuam perniciem conjurarent; licet  
 apertis inferorum repagulis omnes egrederentur  
 dæmones, ut te conjunctis viribus invaderent, di-  
 scerperent, dilaniarent: licet tu unus deberes in  
 corpore, & anima sustinere omnes eorum, qui  
 tartari addicti sunt pœnis, cruciatus: omnia hæc  
 mala jam recensita, & innumera alia, quæ fingi  
 possent, non sunt comparanda cum malo illo  
 quod tibi accidit, dū vel unicum mortale commi-  
 sisti delictum: audes dicere, *Peccavi, quid mihi ac-  
 cidit tristes?* Peccasti? ergo festina, curre ad illos qui  
 habent potestatem remittendi peccata. Peccasti?  
*Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Peccasti? ec-  
 ce illum qui venit vocare peccatores. O Domine,  
 propter animam meam tristis est anima tua. Ego  
 illius tristitiæ auctor, quia legis tuæ prævaricator:  
 ego igitur servus peccati, reus mortis, filius iræ,  
 hæres gehennæ, opprobrium terræ, odium cœli,  
 plenus amaritudine, perfusus lachrymis, suspi-  
 rans corde, percutio pectus meum ejulans, *Tristis  
 est anima mea usque ad mortem, quia anima mea ap-  
 propinquavit usque ad portas mortis.*

§. V.

*Avellitur à Discipulis.*

**E**T ipse avulsus est ab eis, quantum jaetus est lapidis.  
 Luc. 22. 41. Ecce hic novam novi doloris ma-  
 teriam.

B 4

teriam.

10.1. 29.

Matth. 9

13.



Amor  
Christi  
in Apo-  
stolos.

Io. 15. 9.

Matt. 17.

5.

Ioan. 16.

reriam. Ipse avulsus est ab eis, quis? à quibus? ipse, ab eis. Christus ab Apostolis. Nemo facile verbis exprimet, tum Christi, tum Apostolorum in hac avulsione dolorem, nisi mente assequatur, mutuum inter eos amorem. Nunquam sic pater primogenitum, mater unigenitum filium, sponsus sponsam, frater sororem, amicus amicorum primum: nunquam sic Jacob Josephum, Joseph Benjaminum, mater suum Tobiam, Jonathas Davidem dilexit, sicut Christus diligebat Apostolos. Sed hanc dilectionem vox ipsa Dilecti nervosius explicabit. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Plusne Pater aliquem diligit, vel potest diligere quam filium. *Hic est, inquit, filius meus dilectus.* Plusne potest Pater sibi in aliquo complacere, quam in filio? *in quo mihi bene complacui.* Tamen, *sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Sed & vicissim discipuli diligebant Christum. *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.* Quantam ergo violentiam avulsus est ab eis! sicut enim annosa quercus, quæ altissimas in terris egit radices, à terra, cui inhæret, & cui quasi unita est, non avellitur sine vi magna, & radicum contusione, ac fibrarum confractio-  
ne: sic Christi, ac discipulorum, cum non esset nisi cor unum, & anima una, non potuit sine summo dolore ac violentia hæc fuisse avulsio. Solent Medici, ac Philosophi definire, *Dolorem divisionem continui*: nihil porro tam continuum, & unum, quam amici, quorum anima dicitur magis esse ubi amat, quam ubi animat. O quantus ergo in hac avulsione utrimque mæror! Christus deserturus Apostolos, tacito alloquebatur aspectu, quia dolor intercluserat vocem: discipuli, solis respondebant lachrymis, quia stupor eripuerat mentem. Abibat post mutuos amplexus pedetentim Christus:

stus:



stus : vix passibus aliquot fuerat progressus, cum ad dilectos sua lumina torfit. Jam propè fugiebat optatissimum illorum conspectum, iterum respexit. Resonat mons totus mutuis suspiriis: plangunt discipuli, plangentibus assonat Echo. Tandem aberat jam tantum, *quantum jactus est lapidis*. Hic amor, & dolor, cum uterque esset summus, fixis illic quasi Herculeis columnis, Non ultra, eum fistebar. Interim, *ipse avulsus est ab eis*. Pastor ab ovibus, dux à militibus, patronus à clientibus, magister à discipulis, Pater à filiis, Christus ab Apostolis. Miseræ oviculæ, quid agetis, si veniat lupus rapax? quæretis pastorem? *avulsus est*. Heu imbelles milites, quo fugietis, si hostes apprehendant arma, & scutum, & vos adoriantur? fugietis ad Ducem? *avulsus est*. Heu afflictissimi pupilli! ecce *adsiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus vos: tradent vos in conciliis, & Synagogis suis flagellabunt vos, & ad prasides, & ad reges ducemini; & quo mileri fugietis? ad magistrum? ad Patrem? ad Jesum? avulsus est*. Sed nolite timere vos. Non procul est ab unoquoque vestrum; tantum abest, *quantum jactus est lapidis*. Si periculum vos terret, clamate, exaudiet. Si bellum imminet, quærite eum, invenietis: tantum abest, *quantum jactus est lapidis*. Longius à peccatoribus abest Deus: non *quantum est jactus lapidis; sed sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltata sunt via mee à viis vestris*. Chaos magnum firmatum est inter Deum, & peccatorem; nam longè à peccatoribus salus: ergo longissimè à peccatoribus Jesus, hoc est Salvator. Pulli si longè recedant à matre, advolat milvus, & devorat. Sol si longè recedat à terra, tota obscuratur tenebris. Ita qui se elongant à te, peribunt. Prodigus elongavit se à Patre, & peregre pro-

Ps. 2. 2.

Matt.

10. 18.

Isa. 55. 9

Luc. 16.

Ps. 118.

115.

Peccator longe est à Deo.



- Psal.* 12. *fectus est in regionem longinquam, & ecce à Patre avullus, cœpit egere, & cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.*
- Luc.* 15. *16.* *Ecce, quæ calamitas, dum filius avellitur à Patre, dum elongatur à domo patris. Appositè de prodigo D. Ambrosius: Nil mirum si cœpit egere, quia qui recedit à fonte, sitit: qui recedit à thesauro eget: qui recedit à sapientia, hebetatur; qui recedit à virtute, dissolvitur. Vere infelix egestas, cui & panis defuit, & porcorum cibus nil profuit. Si ita est, profectò non expedit avelli à te. ô Christe, nequidem quantum jactus est lapidis. Terret enim me vox illa tua fulminatrix, quam Osee ore edidisti minitans: *Vae eu, cum recessero ab eis. Meritò vae, quia sicut recedente anima, moritur corpus; sic recedente tua gratia moritur anima. Quod ne fiat, supplex te rogo cum Propheta: Domine ne discedas à me. Est tibi nomen Emanuel, id est, nobiscum Deus. Ergo mane nobiscum ô Sol! quoniam si tu discedas, ad vesperascit; mane nobiscum ô Fons, quia sine te sitimus; mane nobiscum ô vita, quia sine te morimur; mane nobiscum ô salus, quia sine te perimus. Nolite desperare ô peccatores, quasi is, qui venit vocare peccatores, procul sit, ut non possit vos audire. Non est avullus ab iis, qui habent cor lapideum, nequidem quantum est jactus lapidis. Audite Apostolum, Non longe est ab unoquoque nostrum. Emitte duntaxat è corde dolenti tacitum suspirium, audiet; quia non longe est, Stillet ex uno oculorum lachrymula, videbit, quia non longe est. Extende ad illum manû tuam, apprehendet, quia non longe est. Tange fimbriam vestimenti ejus, sentiet, quia non longe est. Accurre cum Prodigo ad Patrem, occurret, quia non longe est ab unoquoque nostrum. Ecce homo, ecce Deus, ecce Deus homo, clamat ad justos, clamat**



ad peccatores. Clamat ad justos, *Venite: ad peccatores, Redite: ad illos, Venite ad me omnes qui laboratus: ad hos, Redite pravaricatores ad cor.* Redite per viam arctam & angustam, qui recessistis per viam latam & spatiosam. Redite per pœnitentiam, qui recessistis per malitiam. Redite per pudicitiam, qui recessistis per luxuriam. Redite per temperantiam, qui recessistis per ebrietatem. Redite pravaricatores, ut ex ore Judicis aliquando audiatis illud, *Venite Benedicti,*

Matt. II.  
28.  
Isa. 48, 8

Matt. 26

§. VI.

*Christi ad Patrem Oratio.*

**P**rogressus pusillum, procidit in faciem suam, super terram. Filius DEI, jam vix filius hominis, in cœtus usque ad tædium, pavidus usque ad tremorem, tristis usque ad mortem, tot altercantibus inter se affectibus obrutus, cum nusquam videret in terris quo fugeret, asylum; nullum speraret ab hominibus, quo respiraret, præsidium: cum nullum perciperet à discipulis, quo recrearetur, solatium: secum, ut prodigus ille dicebat: *Surgam, & ibo ad Patrem. Positis ergo genibus, & procidens in faciem suam super terram orabat.* Ecce hic omnipotens DEI filius totius mundi in maligno positi molem sustinens, gravissimo peccatorum omnium pondere oppressus, quasi sub onere immenso fatiscens, submississimâ reverentiâ inclinat corpus, inflectit humeros, incurvat genua, & (*obstupescite cœli super hoc*) qui in principio creavit cœlum & terram, procidit in faciem suam super terram. O superbe qui erecto collo, elatis superciliis, pingui cervice, summis per terram plantis, ventosissimo fastu, ambulas per vias Babylonias, vide hic Altitudinē depressam, Majestatem in solum pro-

Matt.  
26. 39.

LUC. 15.

Ier. 2. 12

Gen. 1. 1,



prostratam: vide ô fili terræ, Filium DEI affixum terræ; vide ô pulvis, & cinis, totum DEUM pulveri involutum. O prodigium! illic figit DEUS suam faciem, ubi solent homines figere pedes. Audiant hic illi, quibus grave est oraturis DEUM in domo orationis, flectere bina genua, loquentem Cæsarium. Orat Misericordia, & non orat miseria; orat Charitas, & non humiliatur iniquitas: prostratus in terra orat Medicus, & non inclinatur agrotus: orat Innocentia, & non orat nequitia: orat qui peccatum non fecit, & non se prosternit multis peccatis obnoxius. Orat Iudex, & desiderat parcere, & non orat Reus, ut indulgentiam mereatur accipere: orat iudicaturus, & orare dissimulat iudicandus. Sed percipiamus verba orantis, ut ab eo accipiamus exemplum orandi. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Imò, Frater mi, si possibile est, transeat non à te, sed per te calix iste. Si enim vis à te transire calicem, necesse est perire hominem. Dilatavit infernus animam suam absque ullo termino: insidiantur nobis Principes tenebrarum, minantur exitium dæmones, Pater tuus vibrat gladium bis acutum, Angeli destituunt nos omni auxilio; trepidat homo reus inter apertos inferos, & clausos cœlos, nudus, pavidus, sollicitus, omnium furori expositus; & ecce si tu unus vivas, omnes morimur. Misere re Fratrum tuorum: frater enim, & caro nostra es. Jesus es, hoc est Salvator, salva nos, perimus, nisi tu biberis calicem pro pereuntibus. Adhuc tamen clamat, si possibile est, transeat à me calix iste. Per me licet, ô Christe, transeat à te calix iste: sed interim ecce quem amas infirmatur. Transeat à te calix iste, si possibile est, ut quem amas, non perire sinas. Transeat à te calix iste, si possibile est, ut videas hominem, propter quem factus es homo, morien-

Cæsar.

Arelat.

hom. 29.

Ps. 5. 14.

Gen. 37.

14.

Ioan. 11.



morientem, Scio non est hoc possibile. Videbas  
 Jerusalem, & prævidebas ejus perniciem, & mox  
 flebas super civitatem. Lazarus mortuus erat, &  
 cum stares ad monumentum, lachrymatus es.  
 Una erat perdita ovicula, & demissis 99. venisti  
 ad illam quæ perierat. Videbas olim turbam, &  
 cum non haberent quod manducarent, miseri-  
 cordia motus, dicebas: *Misereor super turbam*, Ecce *Marc. 8.*  
 turbam, quam dinumerare nemo potest, omnes, *8.*  
 inquam, filii Adæ, quia pater illorum tulit de fru-  
 ctu ligni, quod est in medio Paradisi, & comedit: *Gen. 3. 6*  
 jam non habent quod manducant, & ideò ne-  
 cesse est ut pereant. Et eritne possibile, ut non  
 miserearis super tantam turbam? Scio quia non  
 est possibile, ideò impossibile est ut transeat calix  
 iste à te. Mater illa coram Salomone, cum vide-  
 ret filium suum occidendum, diceretque Salo-  
 mon: *Afferte mihi gladium, & dividite infantem vivum* *3. Reg. 3.*  
*in duas partes, statim ad hoc funestum spectaculum* *24.*  
*commota sunt viscera ejus super filio suo; & dixit: Ob-*  
*secro Domine, date illi infantem vivum, & nolite inter-*  
*ficere eum.* Ecce Pater tuus plus quàm Salomon,  
 gladium suum vibravit, ut tollat hominem, quem *Pf. 7. 13.*  
 creasti ad imaginem & similitudinem tuã: quòd  
 si transeat calix iste à te, ipsius animam pertransi-  
 bit gladius Patris tui. Nolite timere; video; com-  
 moventur viscera ejus (habet enim viscera mise-  
 ricordia) super homine, & ecce, extendit ma-  
 num ut apprehendat calicem, & ebibat: prius ta-  
 men ad vos conversus, à vobis quærit: *Potestis bi-*  
*bere calicem, quem ego bibiturus sum?* alium vobis ca- *Matt.*  
 licem proponit meretrix illa Babylonica, mater *10. 22.*  
 fornicationum, & abominationum terra, poculum au- *Apoc.*  
 reum, quod habet in manu sua plenum abominatione. *17. 4.*  
 Ex hoc poculo bibitur vinum in quo est luxuria. Et *Ephes. 5.*  
 tamen *18.*



tamen hic quilibet exclamat, Sitio: *da mihi bibere:*  
 Ioan. 4. vix primarius labris gustavit: cum ecce, ut Jona-  
 7. thas, exclamat: *Gustans gustavi paululum vini, ex ca-*  
 1. Reg. llice mundi, & ecce morior. Contra calix tuus in-  
 14. 43. ebrians, ô Christe, quàm præclarus est, quia tu  
 Cant. 4. labiis tuis, sub quibus est mel & lac, omnem ama-  
 5. ritudinem sustulisti: idè gustans gustabo paulu-  
 lum vini, ex calice, quem tu bibisti, & ecce vivam,  
 Ioan. 4. quia qui bibit ex calice isto, non sitiet in æternum,  
 14. sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

## §. VII.

*Christus Patris voluntati se submittens, calicem  
 ab eo oblatum admittit.*

Matt. 26 **P**ater mi, si possibile est transeat à me calix iste, verum  
 non sicut ego volo, sed sicut tu. Pater mi, scio, scio,  
 decretum tuum, cui in foro Justitiæ subscripsi,  
 admisi mandatum tuum: tenes chirographum  
 meum: novi, quia in capite libri scriptum est de me, ut  
 Ps. 39. 9 facerem voluntatem tuam, DEVS meus volui. Itaque  
 non mea, sed tua voluntas fiat. Sed tamen Pater,  
 & Pater mi, non tantum favore gratiæ, sed jure  
 naturæ, tu scis, quia diligo te, & scio quia diligis  
 me, te attestante, *Hic est Filius meus dilectus.* Si ergò  
 Matt. 3. diligis me, si unquam tibi bene complacui, pla-  
 17. ceat tibi, ut transeat calix iste à me. Sufficiat tibi,  
 Pater, me natum in stabulo, pannis involutum,  
 reclinatam in præsepio. Si lachrymas quæris? fle-  
 vi super Jerusalem. Si sanguinem? hunc fudi cir-  
 cumcisus. Si labores? *Pauper sum ego, & in laboribus*  
 Ps. 87. à juventute. Si fatigationem? *fatigatus sedi supra*  
 26. fontem: tristitiam? *Tristis est anima mea usque ad*  
*mortem. Transeat ergo calix iste.* Tuone Filio dile-  
 cto, & sic dilecto conveniunt vincula, sputa, ala-  
 pæ, flagella, spinæ, clavi, crux? poterisne Pater mi  
 videre



videre Filium tuum in Golgothæo monte, summa cum ignominia medio in aëre, probroso in stipite, nudum, lacerum, cruentum tanquam opprobrium omnium hominum, & novissimum virorum pendere, ac mori? *Nunc anima mea turbata est. Pater salvifica me ex hac hora. Et nunc dicam: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Hac vox dilecti est.* Hæc vox capitis, salus est totius corporis. Agnosco in unâ persona duas voces sensu discrepantes: altera est vox Timoris, altera est vox Amoris. *Transseat à me calix,* vox est Timoris; *veruntamen non sicut ego volo,* vox est Amoris. *Transseat à me calix,* vox est quasi infirmi; *non sicut ego volo,* vox est Medici. Timor calicem rejicit, Amor admittit. Timor vult calicem transire à se, Amor vult transire per se. Timor calicem vult effundere, Amor vult ebibere. Clamat timor, *non bibam de hoc genimine vitis* Amor clamat: *Da mihi bibere. Bibam donec exhausto calice dicam: Consummatum est.* Dum proponitur Christo fœtalis ille cruentæ tragœdiæ apparatus, funes, vincula, columnæ, flagella, spinæ, fel, acetum, crux, clavi, lancea. Timor dicit: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* At contra, dum illi proponuntur decretum SS. Trinitatis, corporis ejus resurrecturi gloria, Angelorum desiderium, SS. Patrum è lyngo suspiria, hominum universorum salus, denique Patris æterni voluntas, Amor dicit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Dum auditur vox Timoris, *transeat à me calix iste.* Exultant inimici hominis, lætantur Inferi, triumphant dæmones, & consilium faciunt in unum, ut perdant hominem dicentes, *Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat;* calicem, quem dedit ei Pater, non vult bibere. At verò dum personat vox illa amoris,

Ioan. 12.

27.

Cant. 2.

8.

Gal. 5. 17

Marc.

14. 25.

Ioan. 14

10.

Ps. 70.

11.



ris, non sicut ego volo, sed sicut tu, fugiunt dæmones, confunduntur hostes, ululat tartarum, gaudent cœli, lætantur Angeli, applaudunt homines. Quemadmodum Christus hic expertus est luctam inter Timorem & Amorem; sic & ego facteor, me audire vocem in membris meis reclamantem voci mentis meæ. Toties clamat corrupta natura: *Transseat à me calix iste*. Si proponatur mihi injuria oblivione sepelienda, inimicitia deponenda; cum silentio audiendæ contumeliæ: hic clamatur: *Transseat à me calix iste*. Maceranda est caro inedia, pungendum hispido amictu corpus, frænanda luxuria, cohibenda iracundia; iterum obloquitur caro, & clamat: *Transseat à me calix iste, Transseat à me omnis adversitas: transseat à me paupertas, ignominia, fames, sitis, morbus, denique transseat à me quidquid mihi incommodum, molestum, malum est*. Vox hæc vox Esau est, non Jacob: est vox naturæ, non gratiæ: est vox carnis, non spiritus. Alia nunc est vox mea: *non sicut ego volo, sed sicut tu*. Profiteor, tua voluntas est quidem prima regula omnium voluntatum, ad cuius normam oportet nos quidlibet velle, & nolle: sed tamen quia toties voluntas mea declinat à voluntate tua, agnosco me esse similem illi pigro, de quo Sapiens: *Vult & non vult piger*. Urges me tuis verbis; *Adolescens tibi dico surge, jam volo surgere, jam nolo*. Spiritus jam me erigit, caro iterum deprimit. Clamat Spiritus: *Quæ sursum sunt, quæ re, quæ sursum sunt, sape*; Reclamat caro, & dicit: *Mitte te deorsum*; sic ego miser, dum unum, idemque volo, & nolo, inter luctantem spiritum, & reluctantem carnem, factus sum mihi metipso gravis. Et quid dicam? Spiritus quidem promptus est, hic dicit: *Fiat voluntas tua? Caro autem infirma: hic*

Sap. 13. 4

Luc. 7.

14.

Matt. 4.

Iob. 7.

20.

Matt.

26. 41.

COR-



contradicit. Fiat voluntas mea. Sed quia perversa est omnis voluntas, nisi ad tuam conversa, eam, ut Heliotropium solem, semper aspiciat, nos tuam faciemus, sed hac conditione, ut & tu facias voluntatem Patris tui. Multum peto, dum peto, ut facias voluntatem Patris, peto, quo nihil possum præstabilius, utilius, felicius, consequi. Domine, tu omnia nosti: tu scis quid petam, tuis te verbis urgeo: dixisti: *descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Præclare; sed persequere sermonem, dic nobis, quæ est voluntas ejus qui misit te? *Hæc autem est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* O plena solatii, plenissima gaudii verba! videmus te filium, licet tantum *per speculum in enigmate*; videmus te, licet duntaxat stantem post parietem, perspicentem *per cancellos*, & vel sic videndo credimus, quia tu es *Christus Filius DEI vivi*. Credimus, quia omnia per te facta sunt, & sine te factum est nihil; & idè credimus, quia tu *unigenitus filius*, qui es *in sinu Patris*: ipse enarrasti, ipse qui es veritas, dixisti: si ergò omnis qui videt filium, & credit in eum, debet habere vitam æternam, quid superest nisi ut illam, per te speremus, & propter te eam expectemus? Hæc est enim voluntas Patris, & quia eadem est voluntas tua, quæ Patris, hæc est & voluntas tua: fiat ergo voluntas tua, fiat & Patris voluntas, tunc nos certò manet æterna felicitas.

10. 21. 17

10. 6. 38.

1. Cor. 3.

12.

Cant. 2.

9.

Matth.

6. 16.

Ioan. 1.

16.

## §. VIII.

*Christus dormientes discipulos excitat.*

**M**agnus ille totius mundi apud Patrem advocatus, postquam coram Patre pro negotio omnium negotiorum maximo, hoc est homi-

C

numa



num salute, perorasset, afflictum terræ caput erigens, absterfis lachrymis, ad discipulos se contulit. sed & illi novam Christo suppeditaverunt doloris materiam. *Invenit eos dormientes.* Quò hic se vertat tristissimus Jesus? De matre cogitat? abest. Oculos in discipulos conjicit? dormiunt. Judam respicit? videt venientem ut prodat. Aspicit cælum? horrescit tenebris. Circumspicit hortum? invenit se in solitudine: convertit se ad Patrem? non exaudit. Se introspicit? tristis est usque ad mortem, non est qui eum consoletur, non est usque ad unum O Christe, *quondam est finis, in ò hac omnia initia sunt dolorum.* Nunc ergo *DEVS totius consolationis,* destitutus omni consolatione, rectè dixeris, quod de te pridem vates tuus prædixerit: *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni.* Cælum, terra, Angeli, dæmones, homines, amici, inimici, Mater, Pater, DEUS omnia, videntur deseruisse eum, per quem facta sunt omnia. Christus ergo misertus dormientium discipulorum, blandè eos excitans, dixit Petro præ cæteris, quia inter cæteros in promittendo multa, fuerat audacior: *Simon dormis? ac deinde aliis: Sic? non potuisti unâ horâ vigilare mecum? vigilate & orate, ut non intretis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Quid hic exclamem; ò pudor! an ò dolor! pudor pro discipulis, dolor pro Magistro! pudor pro Petro, dolor pro Christo. Amici Christi dormiunt, inimici vigilant. Tota in perniciem Christi vigilat Jerosolyma: Vigilat Judas, ut Christum prodat: Vigilat Annas, ut cum interrogationibus circumveniat; Caiphaz, ut reum capitis agat; Seniores, ut accusent; Pilatus, ut condemnet, carnifices ut flagellent, Pharisei ut irrideant; vigilant omnes

Matt.

26. 49.

Matt.

24.

2. Cor.

2. 3.

Ps. 68.

22.



omnes ut eum divexent, agitent, convellant, dilanient: soli erant discipuli, à quibus in tantis angustiis, solatium; in tot periculis, præsidium Christus expectabat: & ipsi dormiunt. Quid aliud agunt jam passim mortales; quam ut obtineant mortalia, vigilare; ut immortalia, dormire? plures vigilant ut salutem amittant, quam ut acquirant. Vigilat Philosophus, ut scientiâ, quæ inflat, polleat: vigilat Advocatus, ut lites non tam citò dirimat, quam diu foveat. Vigilat miles, ut hosti insidias vel struat, vel structas declinet: Mercator, ut rem familiarem augeat: nauta ut Syrtes, & scopulos fugiat: Fur, ut aliena rapiat. Pro rebus perituris concubiâ nocte omnes vigilant; aperti sunt oculi, stant velut in acie, excubant in specula, solertissimè in omnem partem circumspiciunt. Pro æternis, omnes dormiunt, stertunt, oscitant, & desides jacent. *Sic? cernitis vos ab innumeris ambiri hostibus, & callidis ad insidiandum, & crudelibus ad nocendum, & validis ad pugnandum, & non potestis unâ horâ vigilare? Sic? nostis vos peccasse toties, tam graviter; nescitis autem an amore, an odio digni sitis? non nescitis terribile vobis imminere iudicium, & ignoratis quâ horâ venturus sit Judex, & non potestis unâ horâ vigilare? Sic? Peccator, si quisquis hic ades, inimicus es Dei, scis, & certò scis, quia non incertè credis posse te hoc isto quo loquor momento, ex hac vita repentè tolli; posse omne tempus penitentiae tibi subitò eripi: posse te hoc templo, in altissimum inferorum baratrum ejici; hac hora potes ardere in gehenna, & adhuc dormis, nec dum evigilas? quæ hæc, ô mortales! est supina locordia? quæ mentis cæcitas? quis animi stupor? ut alienæ insidie mini pudicitiae, ut alienam tradu-*

Vigilant plures in perniciem, quam salutem.

dormiendi nō est locus nec tēpus.



catis famam, ut innocentes opprimatis, ut corpora  
 esca, & potu immaniter saginetis, ut dæmon  
 obtemperetis, ut animam perdatis, ut æternus  
 pereatis; denique ut his omnibus gravius dicam  
 ut Deum summum illud bonum offendatis, tota  
 nocte laborantes vigilatis. O quàm appositè hic  
 exclamat contra dormituriens, in negotio salu-

Ad Eccl.  
 lib. 3.

tis, Salvianus; O cæcitas! ô insania! quanto studio  
 felicissimi homines id efficitis, ut miseri in æternitate  
 sitis? quanto minore cura, minore ambitu id vobis proficere  
 potuistis, ut semper beati esse possitis? Rectè, minore  
 cura, scilicet unâ horâ vigilando. Hic profectò  
 dormiendi neque locus est, neque tempus: sumus  
 hic in stadio, currendum est; sumus in campo,  
 pugnandum est, sumus in mari, navigandum  
 est; in solitudine, ambulandum est; in vinea,  
 laborandum est; in agro, seminandum est; non  
 ergo hic oscitandum neque dormiendum est. Non  
 tantum non est hic dormiendi locus, sed nec tem-  
 pus. Excitat dormientes dum animæ statum  
 clamitiosissimum nobis exprimit aurea illa tuba.

Serm. 25

Chrysologus: Inter DEI præcepta, & cordis passionem  
 inter virtutes & vitia, inter adversa & prospera, inter  
 poenas & præmia, inter vitam & mortem, stans in acerbis  
 bella sustinens, suscipiens vulnera, raro stans, occumbens  
 sensu, stat anima. Hocce in loco tam lubrico  
 quo oportet quotidie pugnare, & pugnando  
 vincere, vel perire: hocce in statu in quo semper  
 periculum est ne salute excidat, si dormire inci-  
 piat, anima constituta, negliget unâ horâ vigilare.  
 scio Jesu, qui vult tecum æternum conregnare  
 debet tecum unâ horâ vigilare. Vigilabo ergo  
 cum, quia veniet brevi hora una, nota tibi, ignota  
 mihi, & idèò vigilandum: veniet hora, quæ  
 claudentur oculi corporis nunquam amplius  
 perierit



periendi, quâ migrandum in domum æternitatis: tum dicet spiritus, ut requiescam à laboribus: tunc, ubi hic tecum vigilavero; *in pace in Ps. 4. 9.*  
*id ipsum dormiam, & requiescam.*

## §. IX.

*Tertia Christi ad Patrem oratio.*

**S**emel oraverat magnus ille Orator, & illo orante dormiverant discipuli: iterum orat ille, iterum & dormiunt ipsi: tandem *iterum abiit & Matt. 26. 45.*  
*oravit tertio, eundem sermonem dicens.* Calix ille amaritudinis, quem petebat à se Christus transferri, debebat necessariò usque ad ultimam guttam ab eo ebibi; illum enim transferri, repugnabat divino decreto. Enimverò ab omni retro æternitate in arcano SS. Trinitatis concilio factum est decretum, & factum fere tale: *Visum est Spiritui sancto, & nobis congregatis ad reficiendum hominem, qui olim ad imaginem nostram factus, jam collapsus est, ut Filius DEI, fiat homo, filius hominis, & pro hominibus anno ætatis sue 33. sub Pontio Pilato crucifigatur. Ita testamur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Sic Propheta nuntiarunt.* Inde impossibile erat ut calix iste transiret à Christo. Nec hoc fugiebat Christum, ideò non refugit bibere illum, & ebibere. Quare ad Patrem conversus dicit, *Non mea voluntas fiat, sed tua.* Scio Jesu, fiet voluntas ejus, & qui veniens in mundum obedivisti Patri usque ad uterum matris, abiens è mundo obediens usque ad mortem crucis. Quod dixit Christus in horto Patri, idem dicit & homini, videlicet, *Non mea voluntas fiat, sed tua.* Tu homo vis me pati, vis me mori; fiat voluntas tua. Nunc ergo tu homo, pro quo moritur DEUS homo, audi quibus verbis se totum tradat voluntati tuæ. Sic tibi loquitur, qui pro te patitur.



Volun-  
tati ho-  
minum  
se tradit  
Chri-  
stus.

Ezech.  
18. 31.

Spes e-  
vadēdi  
exitium  
meritis  
Christi.

Quandoquidem cruciatibus meis ita delecta-  
ris, o amatum mihi hominum genus, exere in  
me quidquid cruciatuum potes. Magis quam  
Pilatus tradiderit, ego me trado voluntati tuæ  
neque enim potestatem in me haberes, nisi da-  
rem eam tibi desuper. Offero me quia volo, quia  
amo. Quod si cum quantavis tua rabie, parum tibi  
videris excogitare, & coacervare dolorem  
posse, advoca Tartareas potestates, inferorum vi-  
res, omnesque demones evoca, qui tecum quid  
quid possunt, funestum, dirum, horridum, atrox  
comminiscantur, atque exaggerent neque cupio  
ut animam mihi. ut Jobo facere coacti sunt, ser-  
vent: sed ut eam cruciatuum immanitate, à cor-  
pore separent; si libet, per me licet, potestate  
quam habeo ponendi animam, uti. Sit hæc hora  
vestra, sit & potestas tenebrarum à me sponte  
permissa. Insuper si nec sic furori tuo factum est  
satis, & ut ego amori magis indulgeam meo; eni-  
ego ipse, ipse ego, in tantos me immergam dolo-  
res, iis amaritudinum fluctibus me immergam,  
ut totum interiorum dolorum mare, & aquæ om-  
nes intrent usque ad animam meam; deviam  
que in hac altitudine maris, in hac spontanea do-  
lorum tempestate, usque ad limum profundi, in  
quo non est substantia. Ea denique per me, & à  
me ipso atrociora, diraque perferam, quæ nec tu  
nec potestas tenebrarum inferre, & vix fingere  
potestis. Quid ergo timetis mori? *quare moriemini?*  
quia Pater meus declaravit vos reos mortis  
nequaquam moriemini. Moriar ego, ut vivatis  
vos. *Quare moriemini?* quia prævaricati estis man-  
datum Patris? sed ut ego Patrem iratum placem,  
quidquid sudoris abditur in poris, quidquid lac-  
chrymarum latet in oculis, quidquid sanguinis  
fluit



fluit in venis, totum effundam, ne moriamini vos.  
*Quare moriemini?* Dicitis: Hominem non habemus qui nos absolvat. Ecce homo: ecce manus, vincite funibus; ecce genas, percutite alapis; ecce faciem, cedite colaphis, ecce oculos, obnubite velo; ecce caput, configite spinis; ecce pedes, perfodite clavis; ecce totum corpus, concidite, dilacerate, discerpente flagellis. Fiat voluntas tua ô homo. Saltem nunc sic amantem redamate me ô homines, ut cum exsaturatus fuerit vester in me furor, vel hâc nimiâ saturitate disrumpatur, locumque tandem cedat amori. Mene verò etiam hominem DEUM, homines, mene, inquam, DEUM pro vobis hominem factum, fratrem vestrum, os de ossibus vestris, & carnem de carne vestra, me DEUM incarnatum excarnatis, & totum excarnificatis? mene in frustra discerptum, dissipare, disperdere, destruere nirimini? menè, qui descendi de cœlis in terras, jam terris excludere, in altum, unde veni, rejicere, exterminare penitus vultis? & quid naturæ humanæ in me est, excindere, atque extinguere? atqui nec sic sistetis amorem meum: sed in amando vos, perseverabo usque in finem, nec prius ego quiescam, quàm mecum fruamini illo regno meo, cuius non est finis. Ah Jesu! hæc audio, & necdum præ dolore deficio? hæc intelligo, & necdum præ amore ardeo? hæc credo, & necdum præ horrore concido? quid ad testandum tuum in me amorem potuisti dicere, & non dixisti? quid potuisti facere, & nō fecisti? quid potuisti perferre, & non pertulisti? sic necdum amem amantem, & sic amantem, dignus sum qui sim odium cœli, terræ, inferorum, dæmonum, hominum, omnium.



*Angelus eum confortat.*

Luc. 22.

43.

**J**am tertium oraverat tristis ulque ad mortem, humilis usque ad terram, Dominus cœli, & terræ, & ecce, apparuit illi Angelus confortans eum. Nil mirum, voluisse eum confortari ab Angelo bono, qui permisit se tentari ab Angelo malo. Hic Angelus verosimiliter Gabriel, spectabili indutus corpore, vultuque commiserationis plenissimo, submissa proni corporis, ac animi reverentiâ, eum adorans, quem adorant omnes Angeli, Patris voluntatem exposuit, his aut similibus verbis: Adsum supremi concilii nuntius, & paternæ voluntatis interpret. Statutum est in illo sacrosancto Senatu, Patre mandatum suum tibi proponente, Te acceptante, Spiritu sancto approbante, ut calicem hunc, tibi quidem amarum, sed fratribus tuis præclarum, ante 15. horas bibas. Surge ergo, bibe; grandis enim tibi restat via. Si hunc calicem non bibis, ætatum est de totius mundi salute. Patris enim furor iustissimus, tui solius sanguine extinguetur. Miserere tot fratrum tuorum. Aspice infra pedes tuos tot captivos, magis invidiâ alienâ; quam malitiâ propriâ, æternæ servituti addictos. Aspice sursum tot sedes vacuas, quæ nisi à te, cujus misericordiâ plena est terra, possunt impleri. Ergone sines Luciferû gloriari de ruina tot fratrum tuorum? videbis illos hostium tuorum, ac Patris tui conculcari pedibus? trahi à dæmonibus in triumphum? privabis Patrem tantâ gloriâ, Angelos tanto gaudio, homines tanto bono, cœlum tanto ornamento? consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Post tres dies tantâ resurges gloriâ, quantâ ceci-



cecideras ignominiâ. Mors & vita omnium in manu est tua. Moriare unus, ne moriantur omnes. Hoc tibi expedit hoc Pater præcipit. His ab Angelo auditis, Christus ut intellexit obfirmatam esse Patris voluntatem, & jam instare sibi tempus illud ferale, quo fractis inferorum repagulis, omnium quotquot essent dæmonum rabies, Judæorum furia, paternæ justitiæ iracundiæ toto impetu in se unum essent effundenda, repente velut signo dato, bella, horrida bella in Christi pectore arsere. Hic inter se præliati repugnantes timoris & Amoris affectus, & acerrimè digladiari. De quo sequenti puncto.

## §. XI.

*Sudor Sanguineus.*

Christi tristitia, quæ fuerat magna usque ad mortem corporis, crevit, & evasit maxima usque ad effusionem sanguinis. *Et factus in agonia* Luc. 22.  
*prolixius orabat, & factus est sudor ejus sicut gutta san-* 44.  
*guinis decurrentis in terram.* Sicut à timore anxietas, sic ab anxietate processit agonia; quæ hunc in modum orta est. Permisit Christus imaginationi suæ, sibi modo perfectissimo proponere omnium, quos paulò post perpassurus erat, cruciatuum ferocitatem, & simul concessit appetitui sensitivo inde concipere immensum quendam mortis tam diræ, mox oppetendæ formidinem, atque horrorem; & quidem tantum, quantum poterat concipere: cum verò ratio tota ad illos cruciatus, sibi propositos rapèretur, & voluntas liberrimè, juxtà ac libentissimè eandem admitteret, & consentiret in mortis genus tam ferox, vis imaginativa vehementi cruciatuum apprehensione effectus timoris, tædii, tristitiæ ciere; con-

Sanguinis in horto effusi causæ.



tra ratio superior mortis necessitatem, & Patris voluntatem æstimans, zeli, amorisque affectus excitans, acerrime reluctari: hinc incredibilis, & intolerabilis orta est in ejus animo anxietas. Quid nempe potius ageret, ex duobus sibi propositis? an mortem admitteret, an rejiceret: admittere suadebat amor, rejicere timor. Quid agat hos inter præliantes affectus? *Anxiatus est super eum spiritus ejus, turbatum est in eo cor ejus: ut posset dicere cum Saule moriente: Ex omni parte me angustia premunt: coarctor nimis.* Sed interim tempus urget, hora instat, Judas appropinquat, hostes adsunt, accelerant milites: non licet diu hærrere, nefas lentè deliberare, concludendum est: hinc agonia, id est extremum certamen, & quasi duelum in Christi pectore, inter Timorem & Amorem: pugnat uterque totis viribus, uter potiatur victoria? neuter vult cedere, uterque vincere: & quia uterque est validissimus, arduum uterque præliatur prælium: sed tandem prævaluit Amor: succubuit Timor: hinc cum timor cesserit amori, factum est, ut sanguis, qui ex timore circa cor, ad illud corroborandum, se effuderat, retractus fuerit ab Amore, & ad exteriores corporis partes, tanta vehementia repulsus, ut patefactis quaquaporis, vi via facta, ipsam carnem penetravit: & totis ostiis, ex oculis, facie, pectore, manibus, pedibus, collo, brachiis, totoque corpore sese effuderit. En DEUS totus cruentus: vere vir dolorum, imò & timorum. Hoc est bellare bella Domini, resistere usque ad sanguinem pro gloria Domini. Madere sudore, non olere unguento: fluere sanguine, non fulgere murice: cruentum, etiam ante conflictum, è bellico pulvere egredi, non è cincinnatum & mollitie muliebriter diffluentem,

Ps. 141.

2. Reg.

24.



tem, per rosas & violas, per lilia & calathos ambulare. Indigni milites, qui sub cruentis Christi signis faciant stipendia; quorum stipendium mors. Nondum. ô peccator, usque ad, non dicam sanguinem, sed sudorem restitisti, ne peccares. Non sic horruit Christus mortem corporis, ut tu horreres mortem animæ, hoc est peccatum mortale si clarè perciperes Dei, qui peccato offenditur, Majestatem. Unde bene quidam Asceta, verus Theophilus: *si omnium hominum, qui fuerunt, sunt, & erunt, corda simul jungerentur, & ex illis cor unum conflaretur, quod omnium virtutem ac capacitatem complecteretur. & illud unam aliquam divinarum perfectionum cognosceret, fieri non posset quin rumperetur præ violentia amoris, nisi singulari Dei auxilio conservaretur* Hinc concludo, si quis peccati minimi gravitatem perfectè cognosceret, & Dei simul offensi Majestatem, & bonitatem, non esset vena in toto corpore, quæ non aperiretur præ vehementia doloris, toto corpore sudaret sanguinem, erigerentur ei præ horrore omnes in vertice capilli, deficerent eum vires, fideretur ei cor, rumperetur pectus, frangerentur costæ; denique impatiens doloris, præ ejus immensitate, repente corrueret in terram exanimis & moreretur. Tu interim plus doles tuum, una raucæ plebeculæ vocula, læsum honorem, quàm pro te fusum Christi sanguinem. Tibi sanguis per venas jam micat, & salit ex lætitiæ intemperantia, jam ad cor contrahitur ex invidia, jam ad vultum retrahitur ex iracundia; ô quantum passim per totum orbem sanguinis effunditur à militibus pro umbratili gloria, vel pecunia, ubi pro Christi gloria nec guttula sanguinis stillat? ô verè vir sanguinum! sanguis tuus sit super nos, & animas nostras:

Grana-  
ten, o-  
pusc.  
751.

Tristi-  
tia con-  
cipien-  
da ob  
pecca-  
tum.



nostras : sanguis tuus, qui est pignus salutis, arrha gloriæ, lytrum redemptionis , non cadat super terram, sed super nos. Ille sanguis quo tu fudas, quo perfusum est totum corpus, qui erumpit ex omnibus poris : ille sanguis, quem expressit è sacratissimis venis, partim propter nos Timor, partim erga nos Amor , sit super nos , ut possimus modulari illud cum electis carmen : *Redemisti nos*

*Apoc. 9. DEVS in sanguine tuo.*

Jo.

§. XII.

*Redit Christus ad Discipulos , dormientes excitat, de adventu Iudæ admonet.*

**J**ESUS absterfo sudore sanguineo, quo fuerat perfusus, erigens se de loco, quo fuerat prostratus, finiens orationem cui fuerat intentus , jam noverat hostes hortum ingressos ; cernebat eminus fulgurantes hastarum cuspides , percipiebat armorum strepitus, armatorum tumultus, & (quod Christo erat sudes in oculis ) videbat illius impiæ cohortis signiferum, suum olim Apostolum, nunc apostaram, Judam.

*Matt.*

*26. 45.*

*Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis : Dormite iam, & requiescite : ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.*

Tandem aliquando irrequieto multorum lustrorum motu, ac complurium sæculorum pondere, devolutum est tempus ad illam horam, qua Dominus Angelorum , tradendus est in manus peccatorum. *Ecce appropinquavit hora. O Pater! in hac hora exultat spiritus meus, quia venit hora qua Filius tuus unigenitus, quem dedisti mundo, ne pereat mundus, sed habeat vitam æternam, in manus tuas, pro mundi vita, tradat spiritum suum. O munde! requiesce nunc, comede, bibe, epulare.*

*Ecce*



Ecce appropinquavit hora : quâ ego pro te fameam, sitiam, felle poter & aceto; ô homines! coronate vos rosis, vino pretioso & unguentis vos implete, ducite in bonis dies vestros : ecce appropinquavit hora, qua ego pro vobis a lapidibus cædar, a sputis conspurcer, flagellis concidar, clavis configar. O Angeli, ecce appropinquat hora, qua amare flebitis vos, dum amara & flenda patiar ego. Dum ergo jam appropinquavit hora, luctuosissima quidem Christo, sed jucundissima mundo, quidni hic exclamem cum sancto Leone: *Exulset Sanctus, qui appropinquat ad palmam; gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam: animerur gentilis, quia vocatur ad vitam.* Gaudete ergo redimendi, quia dum appropinquavit hora, qua patiatur Redemptor, levate capita vestra, quoniam appropinquavit redemptio vestra. Interim dum appropinquat hora hæc expectatissima, tu, qui tot horas tam munificè à DEO impensas, tam prodigè expendisti, siste gradum, & pensiculate expende hæc pauca. Sicuti post 33. annos, menses 396. hebdomadas 1761. dies 12053. horas ducenties octuagies, nonies millies ducentas septuaginta duas, quibus vixit Christus, tandem appropinquavit ultimus annus, postremus mensis, summa dies, novissima hora: ita post plurimum annorum curriculum, tibi ab auctore naturæ præscriptum, tandem, tandem dies illa fatalis elucescet, qua tibi dicetur: *Ecce appropinquavit hora. Filioli, novissima hora est: hora lurida, tetrica, tragica, horrida: hora, qua mihi non amplius neque sol, neque luna micabunt: hora, qua mihi peregre proficiscendum erit in regionem longinquam: hora, qua circumdabunt me inimici vallo, & circumdabunt me; & coangustiabunt me undique: hora, qua stabo in horrifico tremendæ æternitatis*

Serm. 1.  
de nativ.  
Luc. 21.  
28.

Mortis  
hora  
quàm  
terribi-  
lis.

1. Ioan.

2. 18

Luc. 15.

Luc. 19.



nitatis vestibulo: ubi amoto veluti sipario, mentis perspicacissimo oculo, amplissimum aperietur theatrum, in quo se spectabilem præbebit rerum omnium Vanitas. Ubi nunc omnes omnium sæculorum deliciae, opes, potentia, honor, gloria ab Adamo usque ad horam hanc? ô vanitas! ubi infantiae meae bullae? ubi pueritiae nuges? ubi adolescentiae prætexta? ubi ætatis adultioris, virilis roga? ubi totius ætatis antea acta tempora? ô vanitas! Audi Chrysostomum: *Quid sunt humana res? cinis & pulvis, & tanquam pulvis ante faciem ventii: fumus & umbra, & folia cadentia; & flos. & somnium, & narratio, & fabula: ventus, & aer mollis temerè corruptus, penna nobilis, unda decurrens, & si quid istis inferius. Et quid potest his esse inferius nisi inane nihil? ô quisquis hæc audis, dum jam certus es tradere animam Christi sanguine redemptam dæmoni; illa, inquam hora, qua tibi decretum est, lethalem committere culpam; revoca in memoriam hæc verba: *Ecce appropinquavit hora, qua fors tradetur corpus tumulo, caro vermibus, ossa putredini. Anima in manus actoris, qui me atrociter accusabit; Judicis, qui exactè discutiet; vindicis, qui severè castigabit. Sed quia de illa die, vel hora nemo scit, ad Te hac hora convertimur, in cuius potestate posuit Pater tempora & momenta. Tu qui ex æternitatis altissima specula omnium ætatum spatia, certo & numero, & pondere, & mensura disposuisti, nosti qua hora, quisquis adest, hacce in turba, emittet spiritum. Tu ad nos modò altissimè clamas: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Sed tu da ita vigilare, & invigilare nostræ salutis, ut cum appropinquaverit hora novissima, ex te verba illa à te dicta discipulis audiamus: *Dormite jam & requiescite. Dormite, &****

Ad Hebr.  
4.

Act. 1. 7.

Matt.  
25. 13.

Matt.  
26. 45.

te, &



te, & obdormite in Domino, qui vigilastis cum Domino; & requiescite, vos qui cucurristis per stadium; ecce bravium, dormite, & requiescite. Vos qui bonum certamen certastis; ecce coronam Justitiæ, dormite, & requiescite. Vos qui in vinea mea tulistis pondus diei, & æstus, ecce denarium diurnum, dormite jam & requiescite.

Matt.

14. 41.

## §. XIII.

*Judas hortum ingressus appropinquat.*

**L**oquebatur Verbum Patris, ultima verba patris ad discipulos, & mox à discipulo bellum illi indicitur.

*Sufficit, ait, venit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum: Surgite, eamus; ecce appropinquavit qui me tradet. Valet dilectissimi mei, valet chari discipuli, fideles socii, amantissimi filii; venit hora, qua à vobis avellat, ecce appropinquavit qui me tradet. Ecce appropinquavit. Quis? Judas: salva res est: nihil tibi timendum, evades hostium manus; qui enim appropinquat, est tuus in schola discipulus, in domo œconomus, in mensa socius, in itineribus comes, in concionibus auditor, in collegio Apostolus; verbo, est Judas. O Juda! si cognosceres felicitatem tuam nulli non invidendam, & quidem in hac hora: ecce appropinquas Christo: an hoc parvi æstimas? nulla potest vel ab homine optari, vel ab Angelo concipi major in mundo felicitas, quàm appropinquare Christo. Christus est summum bonum: nunc saltem *declina à malo, & fac bonum. Si peccator es, Christus peccatores recipit, non te repellit. Si putas te periisse, Christus venit salvum facere, quod perierat; salvabit te: si ut ovis perdita errasti: Christus est pastor bonus, ipse imponet te in humeros suos gaudens.**

Ps. 36.

24.

Luc. 15. 2

Luc. 19.

10.

Luc. 14.



Luc. 19.  
44.

Deut. 4.  
7.

Pecca-  
tor lon-  
gè est à  
Christo

Luc. 15. 1.

dens. O Juda, quia non cognovisti *tempus visitationis tuae*, adhuc 12. horæ, & chaos magnum erit inter te & Christum. Cras antequam sol occidat, jacebis miser in centro terræ: tunc tam propinquus Lucifero, quàm remotus à Christo. Hinc intellige quàm parum proffit, ne dicam quàm multum obsit, Christo appropinquare tantum corpore, si ab eo te elongas animo. Quis Christo unquam fuit propinquior Juda? videbat eum, audiebat, alloquebatur, tangebatur, amplectebatur, osculabatur; & tamen qui illi erat tam vicinus corpore, animo quàm ab eo erat remotus? Nos Christiani quàm sumus propinqui Christo? quidni dicam de Christianis multò potius quàm Moyse de Israelitis; *Non est alia natio tam grandis, quæ habet Deos appropinquantes sibi, sicut DEVS adest cunctis obsecrationibus nostris.* Adorat Persa solem, Scytha lapides, Ægyptius felem, Christianus Christum Filium DEI. Cui ergo alii nationi sic appropinquat DEUS, sicut nobis? nos Christiani sumus in templo, Christus in arâ templi. Quantillum nos inter & Christum interjacet spatium? intelligit, audit, videt nos, & nostra quæ cogitamus. Sed utinam quàm es propinquus Christo oculis, manibus, pedibus, toto corpore, tam illi propinques, fide, spe, charitate, gratia, omnibus virtutibus. Si Christi es inimicus, non tantùm spatium interjectum est inter cælum & terram, non tantum distat oriens ab occidente, quantum tu à Christo. Propone tibi filium prodigum, primò à patre elongatum, dein patri propinquum, *Profectus est in regionem longinquam.* Jam à patre elongatus, quomodo lamentatur. *Quanti mercenarii in domo patris abundant panibus, ego autem hic fame pereor!* Elongatus à patre, comedit *siliquas porcorum;*

revert-



reversus ad Patrem comedit vitulum saginatum. Elongatus à Patre, nudus est; reversus ad Patrem, induitur stola prima: elongatus à Patre, incipit egere; reversus ad Patrem, abundat panibus. Elongatus à Patre, mittitur in villam ut pascat porcos; reversus ad Patrem, gaudet, manducat, epulatur. O miser! si JESU non appropinques, si ab eo te elonges, quis absterget omnem lachrymam ab oculis tuis? quis in mœrore solabitur; quis in periculis te defendet? quis in dubiis te instruet? quis errantem diriget? quis jacentem eriget? O JESU, à quo abire, est perire, ignosce, quia non audeo appropinquare tibi cum Juda, ut osculer te; non cum Magdalena, ut lavem pedestuos; non cum muliere illa, ut tangam fimbriam vestimenti tui; non audeo esse tam propinquus; sed ut Publicanus à longè staret, pecutiam pectus meum, & dicam: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia peccavi in cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. Sum, fateor, filius prodigus, sum & proditor, sed tu utriusque es redemptor. Ergò redime me, & miserere mei: & quia prodigus es in miserendo, prodigum non repelles, sed admittes, hic in gratiam, postea in gloriam.*

## §. XIV.

*Iudas militum cohortem accedit, & ducit.*

**I**udas, fur pecuniæ, venditor sanguinis justî, proditor DEI, inter Apostolos sicarius, in mensa non tam conviva, quàm sanguinarius homicida, impius parricida, sacrilegus Deicida, uno verbo, sub humana figura diabolus. Sic eum appellat Christus: *Iudas, inquam, cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Phariseis ministros, venit illuc cum*

Luc. 18.

13.

Matt.

11. 13.

Luc. 15.

Ps. 25. 11.

Ioan. 6.

71.

D

later-



laternis, & facibus. Opus hoc, ut capiatur Christus, non peragetur milite uno, nec pluribus, sed cohorte integra: & quidem probè munita armis, ad pugnam prompta, quia & vincula, & catenas, & funes, & compedes, quibus irretiatur fera, ne elabatur præda, opus est nobiscum adducatis. Itaque ut suaserit Judas, adest turma Romanorum, sequitur cohors Judæorum, comitantur satellites Principis Sacerdotum, summi Pontificis, Magistratus, Scribæ Legisperiti, Cives: rutilant inter tenebras sævo fulgore gladiatorum cuspides, & hastarum acies: percellit aures in horrore noctis armorum stridor, accurrentium strepitus, vociferantium clamor, congregantium tumultus: adducunt, ne effugiat refugium nostrum & virtus, vincula, & funes, ut eum comprehendant, qui nos *trahit in funiculis charitatis*. Sed quid sibi vult illa cohors armata magis furore quàm armis? contra quem progreditur? contra innocentem, qui vult luere pro tuis criminibus: contra justum, qui vult mori pro tuo delicto: contra Omnipotentem, quem non infirmitas, sed charitas tradet manibus impiorum, ut liberet à servitute peccati. Et hanc coronam antecedit unus è duodecim, heri in Christi collegio discipulus, nunc in satanæ exercitu primipilus. *Judas unus de duodecim antecedebat eos*. Ille antecedit ordine, qui reliquos præcedit scelere. Sed Judam antecedit Avaritia, quæ illum manu ducebat: Perfidia, quæ viam aperiebat: Furor, qui facem præferibat: Diabolus, qui eum vinctum trahebat. Crimen fuisset non vulgare impios illos satellites vel à longè sequi: scelus singulare, præeuntes comitari: sed antecedere! viam aliis signare! ducem se præstare! nescio quo nomine tantum flagitium appellabo.

De



De reliquis militibus, qui Judam ad tantum scelus præeuntem secuti sunt, quid actum sit, incertum; hoc certum, Judam laqueo sibi vitam extorsisse. Fors ut ostenderet divina Justitia, quanti sit sceleris, alios ad scelus antecedere, & plerumque tales antecessores sequi à tergo vindictam. tanti est, esse non modò in scelere socium, sed ad scelus ducem. Sunt qui cum alios peccantes vident, quasi puderet eos suæ innocentiae, etiam peccant, & est fragilitas: sunt alii, qui ne soli sint improbi, ad flagitium, canunt classicum: ut alii intrent per viam latam, aperiunt portam: ut alii cadant in præcipitium, pessimo exemplo impellunt: ut audeant ad portas usque inferni procedere, veluti duces præeunt: ut alii stent *in via peccatorum, in cathedra pestilentia sedent*, tradunt præcepta ut Magistri; ut ad crimina timidos animent, ut exhortatores his verbis instigant: *Veni nobiscum, insidiamur sanguini, &c. sortem mitte nobiscum: mar-supium unum sit omnium nostrum*. Hæc est summa impietas: bis enim sunt impii, semel suo quo se contaminant flagitio; iterum malo, quo alios ad scelus incitant exemplo. Sic egit Judas: is enim relicto Christo, Scribis ac Phariseus, in domo Caiphæ congregatis, hoc ait: *Quid vultis mihi dare, & ego eum tradam?* Agite, ego eum sub hasta collocabo: quid mihi pecuniæ tradetis? illi ex ilite gaudio; offerunt, donant, tradunt Judæ in manus tametsi vile pretium: illo acquiescit præstigiator: Agite, inquit, jam in horrore est: expedite milites, sumantur arma, conferantur vincula, sequatur cohors, ego cohortis Imperator, ego militum dux, ego aciei primipilus: ego exercitus antesignanus præibo. Accingunt se ad iter: panduntur portæ, egreditur ex urbe Judas stipatus militibus; tran-

Exem-  
plo ma-  
lo ad  
peccan-  
dum al-  
licere  
malorū  
pessi-  
mum.

*Psal. 10*

*Prov. 16  
12.*

*Matt.  
26. 15.*



seunt omnes Cedronis torrentem, conscendunt  
clivum ubi octo discipuli timore, & pavore op-  
primuntur; qui dum eminus lanceas, laternas, cly-  
peos, gladios fulgentes vident, trepidi ad Magi-  
strum confugiunt. Interim Jesus absterfo cruen-  
to sudore, erigens se è loco, in quo passus fuerat  
agoniam, ut vidit Judam horto proximum, cum  
militibus, & jam jam appropinquantem, altum  
suspirans ob scelus Judæ, tres suos discipulos è fo-  
pore excitatos, reliquis citò ad se ex metu fugien-  
tibus, aggregat, & mox exercitum ordinat, aciem  
disponit, & Judaicæ cohorti opponit. Hoc est

Luc. 22.  
47.

quod ait Lucas, *Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui  
vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos.*

Sap. 6.6.

Qui sic exemplo Judæ, alios ad scelus antecedunt,  
audiant quod in illos torqueat Spiritus sanctus  
ex ore Salomonis tonitruum: *judicium durissimum  
his qui præsumunt. Sicut durissimum fiet iudicium  
ob pessimum, quo alios ad scelus alliciunt, exem-  
plum, his qui præsumunt; sic & illis qui ad scelus  
præeunt. Durum fiet iudicium his, qui peccant,  
etiamsi soli; durius his qui, cur alii peccent, suo  
exemplo sunt occasio: durissimum verò his, qui,  
ut alii peccent, sunt causa, quia præeunt, quia ma-  
nu ducunt, quia ut alii sequantur, alliciunt; quia  
ut audeant, exhortantur. Hoc demum est cum  
Juda ad scelus sceleratos antecedere. Quod ne  
contingat nobis, sicut tres Magos, cum tende-  
rent in Bethleem, antecedebat eos stella, usque dum ve-  
niens staret supra, ubi erat puer. Ita nos peregrinos  
tendentes in Jerusalem, antecedeat stella tua, id  
est, gratia, ut sequamur te per viam arctam, qui  
es via, nec prius illa nos deserat, quam stet supra  
ubi tu es, non puer in stabulo, sed antiquus die-  
rum in folio.*



## §. XV.

*Iudas dat signum, quo Christus agnoscatur.*

**C**hristus post tristitiam animæ usque ad mortem, post fulas prolixas preces usque ad agoniam, post extremas angustias usque ad sudorem sanguinis ab Angelo è cælo confortatur; à Patre ut pateretur, admonitus; à se, ut pati vellet, inflammatus, surgit; & ecce intolens spectaculum, terrum, barbarum, funestum. *Ecce Iudas unus de duodecim, cum accepisset cohortem, & à Pontificibus ac Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis: dederat autem eis Iudas signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.*

10.18.30

Marc.

14.44

Est hoc omnibus familiare, dum rarum aliquod prodigium, vel inusitatum proponitur spectaculum, quod vel incutere terrorem, vel solet excitare stuporem, vocula illa uti, *ecce*. *Ecce Iudas*. Audite cæli, & obstupescite super hoc; adeste homines, spectate Angeli, videte dæmones mirum, rarum, dirum spectaculum. *Ecce Iudas*, heri in Christi collegio, hodie in Sathanæ satellitio: heri veritatis discipulus, hodie erroris Magister: heri Apostolus, hodie diabolus. *Ecce Iudas*, quem Christus ante tres annos evexit ad dignitatem Apostolatûs, ante tres dies habuit in schola auditorem, ante tres horas in mensa convivium, cui paulò ante laverat pedes, dederat ei in escam corpus, in potum sanguinem; nunc totus mutatus ab illo, qui fuerat tunc, exutus omni humanitate, immemor omnium beneficiorum, venit ut osculo pacis, bellum indicet Principi pacis, ut salutando, insidietur illi, qui est omnium salus: & sic osculando prodat Judæis, amplexando tradat

Judæ  
luctuosissimus  
casus.



Gentibus. Dederat autem eis proditor signum: Quem-  
 cunque osculatus fuero, ipse est, ducite cautè. Quasi di-  
 cat, scientissimus est; Vidi non semel, cum ipsas  
 cogitationes abditas revelaret, & eos, qui ipsum  
 lapidare volebant, nescio quo modo excæcarit  
 cautè ergo cum homine canto, & vafre cum va-  
 fro agendum Frustrà ô Juda! omnis tua, & tuo-  
 rum cautela: Frustrà Judæorum consilia, frustrà  
 Romanorum sapientia, frustrà Sacerdotum, &  
 Seniorum prudentia; quia scriptum est: Non est  
 sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Do-  
 minum. Hic autem est Dominus, & magnus Do-  
 minus. Tu tam peregrinus, & hospes es in Scri-  
 ptura, ut numquam legeris illa Davidis verba:  
 Astiterunt Reges terra, & Principes convenerunt in u-  
 num, adversus Dominum, & adversus Christum eius:  
 qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsanna-  
 bit eos: subsannat ipse in cælis, quæ tu machinaris  
 in terris. Capias quidem illum, non quòd illum  
 potueris capere, sed quia ipse voluit capi. Sed &  
 tu, dum capis, capieris miser, non à milite, sed à  
 dæmone, & ille tuus Dominus post tres dies,  
 mortis victor resurget à funere, dum tu infelix  
 pendebris ab arbore. Quod egit Judas in horto  
 semel, hoc in mundo fit quotidie. Præfens hæc  
 vita, est quædam ad mortem via: unde homines  
 omnes vocamur viatores. In hac via non deest  
 qui nos prodat perfidus Judas. Ille ipse est, in quo  
 vivitis, & confiditis, & vestra omnia fiditis, infi-  
 dus mundus. Tu ergò, qui in hac via es viator, sta  
 viator, & prudenter observa, quàm te mundus  
 facilè capiat, & quàm non difficilè te finas capi.  
 Sunt varii in variis vitæ statibus, ac muneribus  
 homines: sunt in palatio Principes, in curia præsi-  
 des, in Rep. proceres, in Magistratu consules, in  
 Acade.

Prov.

21.30.

Psal. 22.

Mundi  
perfi-  
dia.



Academia juvenes. Omnes quidem ad salutem sunt vocati, pauci tamen electi. Habet mundus suos qui omnium saluti insidientur satellites, habet cohortem vitiorum, habet turmam dæmonum, ut Judas militum. Et illi habent suos, quibus homines irretiant, laqueos, quibus capiant, vincula; quibus ligent, compedes: at illi, dubii ambigunt, qui sunt illi, in quos oporteat manum injicere, & ad exitium secum captivos trahere. Itaque ut fecernat reprobos ab electis, dat eis proditor mundus signum. *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute.* Si quem videritis in aulâ, qui induatur purpura, & abyſſo, & epuletur quotidie splendide, ipse est, tenete eum. Si quem audieritis dicentem: *Anima mea, habes bona multa, posita in annos plurimos: requiesce, comedere, bibe, epulare: ipse est, tenete eum.* Si in foro inter Advocatos, & Causidicos, audieritis aliquem dicentem: *Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ. Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ: circumveniamus justum quoniam inutilis est nobis.* Si inter Academicos juvenem audieritis dicentem: *Venite, fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter, vino pretioso, & unguentis nos impleamus: & non prætereant nos flos temporis; coronemus nos rosis, antequam marcescant.* Ipse est, tenete eum. Denique, quemcunque osculatus fuero, cui blandiar, lenocinabor, & fovebo, favebo; verbo, cui dederò bona omnia peritura; ille est, qui debet perire, ipse, qui debet à me prodi, à vobis capi, æternum mori: *tenete eum, & ducite cautè.* Cautè, cautè, ut imbibat succum Politicæ prudentiæ: habeat sibi familiarem Tacitum, volvat, & revolvat Machiavellum; doceatur servire temporis: Proteum agere; quamcunque personam assumere, deponere.

Luc. 16.

Luc. 12.

Sap. 20.

20.

Sap. 16.



nere. Politicus status sit ei potior, quàm ipsa salus: omnia ei postponantur: virtus, pietas, conscientia, religio, cœlum, Deus. Moneatur dum loquitur: cautè loquatur: aliud proferat ore, quàm cogitet corde: sit vultu Cato, mente Nero: instruatur inire singulare certamen, hoc demum esse fortitudinis testimonium. Si velit subinde, ut pius appareat, indulgere pietati, cautè id agat: in templo teneat manu spherulas precatorias, sed subinde misceat & fabulas: oret, sed cautè, flexo uno duntaxat poplite: ducatur ad loca Virgini sacra, ubi congregantur sodales, sed cautè; tunc figat pedem in oratorio, dum descendit orator è pulpito, ut magis spectet, & spectetur, quàm ut audiat. O perfide Munde! sub tuâ cautelâ, nulla est tutela. Meritò hic exclamem contra mundum cum S. Augustino: *O munde proditor, qui cuncta bona promittis, & cuncta mala profers: promittis vitam, & donas mortem: promittis gaudium, sed largiris marorem: promittis quietem, sed ecce turbatio: promittis stare, sed citò recedis.* Ne ergò à mundo, osculo ejus perfido, velut à Juda Christus, prodaris, ad Christum te convertas, qui fuit à te, & pro te proditus. Ecce vita mea, dum vivo, sum in viâ, quæ ducit ad mortem, quæ est meta vitæ, & terminus vitæ. In hâc viâ tot sunt foveæ, & insidiæ, tot præcipitia, & pericula, tot laquei, & pedicæ, tot fraudes, & technæ; da ut cautè ambulem in hac via, ne aberrem à Te, qui es via. Tu quidem venisti in mundum, sed mundus te non cognovit: idè dixisti Apostolis tuis: *Ego non sum de hoc mundo.* Vale ergò immunde, Munde, te deseram *ut sim mundo corde.* Sic deinceps vitam institutam, ut hæc vita sit mihi via ad Te, qui es *via, veritas, & vita.*

Ioan. 17.  
16.

Matt. 5.

Ioan. 14.  
6.

146, & vita.



## §. XVI.

*Christus osculatur Iudam.*

**J**Am appropinquabat sub ovina pelle lupus rapax; sub agnilana, leo rugiens; sub toga Apostoli, perfidus proditor; sub larva discipuli, sacrilegii Magister; sub figura hominis, diabolus incarnatus, Judas. Non satis illi erat stare in conspectu, voluit & frui Christi amplexu. Quare, accedens ad IESUM, ait: Ave Rabbi. Et osculatus est eum. Accedit ad JESUM; res mira: accedit ad JESUM, hoc est ad ignem, is, cujus jam refrixerat charitas, & tamen non accenditur: ad lucem filius tenebrarum, & tamen non illuminatur: ad Medicum æger, & tamen non sanatur; ad vitam vitæ mortis, & tamen moritur: ad Salvatorem Judas, & tamen non salvatur. Hoc (ait Chrysostomus) non medici, sed languentis vitium est. Ubi jam proximus accesserat, osculatus est eum. Siccine Iuda, amoris pignore vulnus infligit? charitatis officio sanguinem fundit; instrumento pacis, mortem irrogas? discipulus Magistrum, servus Dominum, electus auctorem tradis? & osculatus est eum. Quid agis ô sponse, oblitus tuæ sponsæ, oscularis spurium Synagogæ? si lubet osculari, accede, ecce nova sponsa Ecclesia, cui promisti olim: Sponsabo te mihi in sempiternum. Jam ab annis plus quàm quater mille, tui osculandi cupida, toties exclamavit: Osculetur me osculo oris sui. Clamat Ecclesia militans in mundo, ut à te obtineat auxilium: clamat Ecclesia triumphans in cælo, ut per te impleatur ejus gaudium, hoc est, osculetur me osculo oris sui, & osculum eis non dedisti. Et interim aperis labia, ut ea applices illi, cui venenum aspidum sub labiis; aperis brachia, tuis in amplexus, oscularis. Petrus fidelis servus tuus, qui causa, quævis

Ioan. 18.

3.

Chryst.  
lib. 9. in  
Luc.

Ose. 2. 19

Cant. 1. 1

Luc. 7.

45.

Ps. 13. 3



etiam gravissima pati semper promptus fuit, ut  
*Luc. 22.* testantur illa verba, *Domine tecum paratus sum & in*  
*33.* *carcerem, & in mortem ire: & tamen osculum ei non*  
*Ioan. 11.* *dedisti.* Par fuit in te amor Thomæ, cum diceret:  
*16.* *Eamus & nos, & moriamur cum illo; & tamen oscu-*  
*lum ei non dedisti.* Andreas relictis omnibus secu-  
 tus est te, Joannes est discipulus tibi charissimus,  
 utpotè quem præ cæteris diligis: tamen uterque  
 verè dicere potest, quod tu Simon: *Osculum mihi*  
*non dedisti.* Uni tantum legeris osculum dedisse,  
 & ille est inimicus tuus pessimus, qui insidiatur  
*Luc. 22. 3* sanguini tuo, in cujus cor *intravit satanas filius per-*  
*Ioan. 17.* *ditionis,* cui bonum fuisset si nunquam natus fuisset:  
*12.* uno verbo, diabolus; tuo testimonio, *Ex vo-*  
*Ioan. 6.* *bis unus diabolus est.* Nonnè meritò hic tibi, (pace  
*71.* tua, pax mea) exprobrem quod Joab Davidi, ob  
 mortem perduellis filii Ablalonis mœrenti? *Dili-*  
*2. Reg.* *gis odientes te, & odio habes diligentes te, & ostendisti*  
*19. 6.* *hodie, quia non curas de ducibus tuis, & servis tuis? non*  
 curas de Apostolis, & Discipulis tuis; qui amore  
 tui tibi dedere omnia sua, & inter illa se. Adhuc  
 ut hoc cogitem de Te, qui & præcipis quidem  
 diligere inimicos, & tamen asseris te diligere ami-  
*Prov. 8.* *cos. Ego diligentes me diligo.* Sed dum expendo tu-  
*17.* *um, quod Judæ dedisti, osculum, sub eo invenio*  
 Mundi mysterium. Judas, ut cæteri Apostoli, secutus  
 prosperitas fuerat te, licet non propter te: functus fuerat œ-  
 conomi munere: aliquid præstiterat unde me-  
 rebatur præmium; accepit ergò à te osculum, &  
 adversitas, tamen postera die, *suspensus crepuit medius:* post  
 osculum statim incurrit exitium. Mirum, nulli ni-  
*Actor. 1.* *si uni Christus commemoratur dedisse osculum,*  
*18.* *& ille unus periit.* Sunt multi, ut Judas, *inimici cru-*  
*Phil. 3 18* *cis Christi, quorum Deus venter est: qui lasciviant in*  
*Amos. 6.* *stratis, & dormiunt in lectis eburneis: qui commoran-*  
*7.*



*tur in vino, & student calicibus potandis: quorū cata-*  
*logum recitat D. Paulus: Fornicarii, idolis servientes,*  
*adulteri, molles, fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces.*  
 Illis dat Deus osculum, hoc est, volaticum corpo-  
 ris gaudium; breve in hac vita præmium, quod  
 tamen negat amicis. Herodi dat regium, in quo  
 sedeat thronum: Petro amico suo dat crucis, ex  
 quo pendeat, lignum. Diviti Epuloni exquisita  
 fercula; Lazaro pus & ulcera. Cæsari dat lau-  
 ream: Laurentio craticulam; Holoferni dulce  
 Massicum, Ioanni fervens oleum: Heliogabalo  
 dat molles plumas, Tiburtio candentes prunas:  
 Balthazaro vino redundantes calices, Stephano  
 saxa, & lapides: Neroni dat sceptrum quo impe-  
 ret, Paulo gladium quo occumbat. Sed nullus  
 illis invidet, nihil infelicius felicitate impiorum;  
 mala non obsunt, nisi malis: nec bona profunt,  
 nisi bonis; quod quàm sit verum, testabitur dives  
 Epulo, & Lazarus. De utroque sunt aurea hæc  
 verba aurei oratoris D. Chrylogi. *Ad divitem*  
*(Epulonem) bona omnia: ad pauperem (Lazarum)*  
*mala omnia perlegimus pervenisse, neque tamen paupe-*  
*rem fregerunt adversa, aut diviti omnia secunda profue-*  
*runt: imò pauperem pervexit ad Philosophiam pauper-*  
*tas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam, neces-*  
*sitas ad voluntatem, fames ad jejunium, sitis ad toleran-*  
*tiam: ad vitam mors, ad præmium pœna, ad cœlum ter-*  
*ra, egestas ad regnum: & divitem sic extulit purpura ad*  
*superbiam, byssus ad luxum, ad inhumanitatem copia, a-*  
*bundantia ad impietatem, unguenta ad marcorem, ad*  
*cacitatem splendor, sublimitas ad ruinam. Ecce hic*  
*quot mala ex mundi bonis! quot bona ex mundi*  
*malis! dat ergo Deus hic peritura bona, malis æ-*  
*ternum perituris. Verè Sapiens: Meliora sunt vul-*  
*nera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Satis*  
*mih*

Prov. 23.

30.

I. Cor. 6.

9.

Adver-  
 sitas di-  
 vini a-  
 moris  
 est pi-  
 gnus.

Ser. 124.

Prov.

27. 6.



mihī erit si liceat mihī cum Magdalena osculari pedes tuos: illos rigabo lachrymis, illos abstergam crinibus, ad illos me demittam, certus, qui se humiliaverit ad osculum pedis, exaltabitur ad osculum oris.

## §. XVII.

*Christus Iudam amici nomine dignatur.*

**H**ic tandem IESUS prodidit se esse IESUM, hoc est, Salvatorem, adeoque se velle omnes homines salvos facere, dum Iudam ad se venientem non terruit, accedenti vultum non avertit, ab osculo non arcuit, ab amplexu non removit, sed apertis manibus, expansis brachiis, admotis labiis, benigno vultu, prompto ore osculatus est; blanditus illi, quem *in felle amaritudinis videbat esse*, verbis illis dulcioribus super mel & favum, *Amice ad quid venisti? ô Iuda, quia si cognovisses & tu, & quidem in hac hora, quæ ad pacem tibi, dum Princeps pacis præbet tibi osculum pacis. Ecce Iuda, nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis, dum tam propinquus es Salvatori, ô Iuda! tantum dic verbo; Peccavi, & mox audies, Remittuntur tibi peccata tua. Ecce expansa brachia, ut te excipiant; manus, ut te in viam rectam deducant; linguam ut tibi verba vitæ loquatur. Patet tibi, ô Iuda! cor meum, redi ad cor tuum: patent tibi viscera Misericordiæ, cave incidas in manus Iustitiæ. Tu mihi dicis, Ave; ego tibi, Vale. Vale Iuda, & in æternum vale. Amodò non videbis faciem meam, donec venerim in nubibus cœli, cum majestate magna: tunc senties, ô Iuda! malum & amarum esse, deseruisse te Dominum Deum tuum. Tunc te, non uti amicum osculabor!, sed abominabor ut inimicum: tunc non audies ex me: Amice, ad quid ve-*

Act. 9.

23.

Matt.

27. 47.

2. Cor. 6.

2.

Luc. 7.

48.

Jer. 2, 19



venisti? sed Discede à me maledicte in ignem æternum. Hæc tacitè Christus ad Judam, nunc ego à Christo, & Juda ad vos: O vos omnes qui auditis hoc impium impiissimi mundi consilium; *Odio habebis inimicum tuum*: quibus familiaria sunt illa verba; *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos*: qui spiratis ruinas, & cædem in inimicos vestros, attendite & videte, si est odium, sicut odium Judæ; si est amor sicut amor Christi. Nunquam hominem tam sceleratum, barbarum, perfidum, impium, sacrilegum, nec sol vidit, nec terra tulit, nec uterus genuit, ac fuit Judas: scelus nullum tam atrox, crimen nullum tam truculentum, facinus nullum tam immane, à quoquam fuit excogitatum, atque in Christum machinabatur Judas. Modus conficiendi illius sceleris, plenus erat dolo, perfidia, vafricie, fraudibus. Uti in Juda nulla erat causa illius sceleris perpetrandi, ita in Christo justissima erat ejusdem ulciscendi. Patet hinc Christi innocentia, inde Judæ perfidia, Indicitur singulare certamen; assignatur arena, in qua concurrant, hortus Gethsemani; designatur & tempus, die Iovis, concubiâ nocte. Venit igitur Filius Dei, posteris omnibus documentum præbiturus, quo discant artem pugnandi, modum vincendi, methodum vindicandi, ab eo qui vocatur *bellator fortis, Deus exercituum, qui docet manus ad prælium, & digitos ad bellum*. Prodit in campum hinc Redemptor, inde proditor: hinc Magister, inde discipulus: Iesus, Judas: Deus, homo. Ille accensus amore, ut servet; hic armatus furore, ut mactet: ille spirans vitam, & salutem, hic anhelans cædem, & exitium. Quid hic expectatis? nunquid ut è tumultuoso nubium

Matth.

5. 43.

Ps. 17.

38.

Inimicus diligendus.

Jer. 20.

11.

Isa. 1. 24

Ps. 143. 1



nubium spatio evibrentur vindices ardentium fulminum faces, & toro furoris impetu contorqueatur in barbarum illud caput, tonitru? nonne ut terra discedens, facto ingente hiatu dehiscat, ut tanti sceleris architectus in puncto ad inferna descendat? & confestim accedens ad Iesum, dixit illi: Ave Rabbi. Et osculatus est eum. Quid interim Christus? quæ ad illum verba? nonne fulminatrici linguâ in eum debacchari, his aut similibus diris? Serve nequam, fili perditionis, progenies viperarum, sepulchrum dealbatum, inveterate dierum malorum, semen Chanaan, & non Iudæ, qui ex patre diabolo es? Amice, ad quid venisti? hic te cito vir sanguinum, cujus manus sanguine plenæ sunt, cujus pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem: cujus lingua gladius acutus; hinc te siste, coram formidando justis pariter, ac injustis justissimi Iudicis solio: Audi, & ego loquar, interrogabo te, & responde mihi: Actoris ego coram Iudice personam sustinebo, tu Rei. Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad cælum de terra. En feralem muctonem stillantem etiamnum cruore inimici tui: en fatalem arenam, quæ suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. En hiulcum vulnus hostis tui, quod vasto ore te accusat. Illata mihi est, inquires, injuria. A quo? ab homine homini, tunè Christo innocentior, ut non potueris tantillum sufferre? tibine gravior illata injuria, quàm Christo, ut debueris vindicare? tuasne inimicus peior Iuda, quo non surrexit peior inter natos mulierum? & tu Christianus, tam dissimilis Christo, quàm similis Antichristo? Lex est mundi, Oculum pro oculo, dentem pro dente. Lux mundi, qui totus in maligno positus est. Lex mundi, à patre ejus lata, qui est diabolus. Lex Christi erat, Diligite inimicos vestros: benefa-

Iob. 4. 2.

4.

Gen. 4.

10.

Gen. 4.

12.

Matt.

5. 39.

1. 10. 5.

19.

Matt. 5.

44.

nefa-



*benefacite his qui oderunt vos.* Audivisti diabolium,  
 sprevisi Christum? quid expectas? præmium? ab  
 illo quem sprevisi? quid speras? mercedem? pro  
 sceleribus quæ patrâsti? quomodo stabis coram  
 illo tribunali, hostili sanguine cruentus? inimici  
 cruore tabidus? coram illo Iudice, quem etiam  
 innocentes reformidant: qui hostem suum jura-  
 tum, amicum appellavit; proditorem osculatus  
 est: inimico tantam injuriam ignovit? Itaque hoc  
 tibi sit certum, extremam esse insaniam, ut decli-  
 nes ignominiam, velle ulcisci injuriam. Desinis  
 itaque te deligere, dum incipis odio habere i-  
 nimicum. Licet latrones te spoliarent omnibus  
 facultatibus, fures privarent omnibus fortunis,  
 grassatores incenderent ædes: licet omnes carni-  
 fices convenirent, ut te exquisitissimis cruciarent  
 tormentis, licet omnes iudices in te gravissimas  
 decernerent pœnas, non tantum tibi nocerent,  
 quantum tu ipse tibi noceres, dum de nocente ini-  
 mico expetis sumere vindictam. Non potes ulci-  
 sci injurias vel odisse inimicum, quin has dirissi-  
 mas voces, vel ore proferas, vel mente concipias:  
 Desipit DEI Sapiencia, male vult nobis ejus Bo-  
 nitas, sævit Misericordia, ignorat Providentia,  
 mentitur Veritas, errat Scientia, dum dicit: *Diligi-  
 te inimicos vestros benefacite his, qui oderunt vos.* Chri-  
 stus tamen quod docuit verbis, confirmavit ex-  
 emplo, dum Iudam his verbis excipit: *Amice, ad  
 quid venisti?* Siccine IESU amicum vocas, qui te  
 vendidit, & tam vili pretio, & tam truculentis  
 tortoribus, & post tot beneficia? Osculabatur  
 Christi pedes Magdalena, & videns hoc Pharisa-  
 us, ait, *intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret uti-  
 que, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia  
 peccatrix est.* Nunquid dum Christum osculatur  
 Iudas,

Vindi-  
 care in-  
 juriam,  
 juridi-  
 canti  
 maxi-  
 mè no-  
 xium.

Luc. 7.

39.



Ioan. 2.  
25.

Ioan. 15.  
14.  
Luc. 7.  
34.

Mundi  
amici-  
tia cardò  
constat,  
Christi  
vero  
vili.

Isa. 36. 6

Judas, & non tantum, ut illa, tangit, & hic merito cum Pharisæo, dixerit quis: Hic si esset Propheta, sciret utique, quis & qualis est ille, qui osculatur eum; quia proditor est: Scimus ô Christe, quia nihil est occultum, quod à te non sciatur: nihil abditum, quod tibi non reveletur. Scrutaris corda, & renes; tu nosti omnes, *nec opus est ut quis testimonium perhibeat de homine; tu enim scis, quid sit in homine.* Quid ergò Judam appellas amicum? tu scis, quia est servus peccati, filius Belial, mancipium diaboli, & amicum appellas? putas te fors habere in brachiis Petrum, an discipulum quem diligis Joannem? est discipulus qui te vendidit. Nullum potest quis majus post infinitos labores expectare præmium, quam ut eum appelles amicum. Petrus, Andreas, Joannes, Apostoli relictis omnibus secuti sunt te, ut à te aliquando audirent, *Vos amici mei estis.* Judas non tantum propter te non reliquit omnia, sed te reliquit, nimirum vero Christo dixerant Iudæi: *Amicus Publicanorum & peccatorum.* Hic nimirum est tempus gratiæ, misericordiæ, amicitia: hic nullus à Christo repellitur: hic quivis admittitur. Accurrat Publicanus, & peccator, fuerit annis plurimis inimicus Christi, sit alter etiam Judas, accedat ad Christum, mox audiet, *Amice, ad quid venisti?* ô peccator! quanti constat esse amicum mundi, quando ejus amicitia acquiritur labore, studio, sudore! ô politice, quot opus est vigiliis, molestiis, angoribus, curis, & animæ periculis, ut sis amicus Principis? quid porro aliud est principis favor, & amicitia, nisi *baculus arundineus*, quo si nitaris, *intrabit in manum tuam, & perforabit eam?* ô Juvenis, quisquis procas, quoties aliis quiescentibus, tibi est abnoctandum, quot excogitanda huma-

nita



nitatis officia, quot conferenda munera, quot devoranda tædia, quot oportet instar Prothei induere formas, quoties simulandum, dissimulandum: quoties etiam cum periculo & corporis, & animæ ineundum singulare certamen, ut fias amicus unius abjectissimæ & sordidulæ pellicis, quæ tuum, ut Holofernis Judith, jugulum petet, quæ tuo capiti, ut Iael Sifaræ, clavum infiget; quæ te, ut Dalila Samsonem, Philisthæis captivum tradet? His accedit, sexcenta licet alicui contuleris beneficia, exquisitissima obtuleris munera, innumera ei præstiteris obsequia, plurimos impenderis, ut ei placeres, annos, exhausseris omnes vires, semel austerius illam aspexeris, sinistrè aliquid dixeris, semel obsequium illi denegaveris, omnia præterita beneficia, æternâ sepeliuntur oblivione; nulla tui est amplius memoria, excidisti omni gratiâ, nunquam deinceps frueris ejus amicitia. Et interim si per plurimos, non dicam dies, hebdomodas, menses, sed & annos, imo per omnem vitam, Deum gravissimis sceleribus ad iracundiam provocaveris, ejus contempseris consilia, spreveris monita, violaveris præcepta; quid putas opus est, ut fias amicus IESU? an ut contendas Hierosolymam: an ut properes Romam ad limina Apostolorum, ut transcendas Alpes, ut enaviges maria? an oportet vendere omnia tua, & dare pauperibus? Hæc & majora meritò requirit Christi amicitia. O impii! ô peccatores! optatis amici esse Christi? accedite, quid timetis? terret vos vitæ vestræ indignitas? timetis ne vobis noceat vestra impietas? audite, quid dicat Veritas: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab iniquitate sua.* In quacunque die? ergo hæc sit dies, hæc sit hora, hic loctis

Peccatis absolvi facile:

Ezech. 33.

E

quo



2. Reg.  
12. 13.  
Luc. 7.

quo convertamur ab impietate; non opus est magno molimine, non diuturno tempore: satis est post multos annos in sceletibus exactos, unicum momentum; satis ut fias amicus Christi, unicum cordis suspirium: satis unica stillans ex oculo lachryma, satis unica pectoris tunfio, satis una linguæ vocula; dic serid cum Davide, *Peccavi eodem momento audies: Remittuntur tibi peccata tua.*

## §. XVIII.

## I E S V S militibus occurrit.

**I**esus, ne quis eum argueret vel imbecilitatis, quod comprehensus, vel fragilitatis, quod passus, vel infirmitatis, quod mortuus fuerit, voluit, priusquam traderetur manibus impiorum, præmittere plenum & potentia, & magnificentia prodigium.

*Iesus itaque sciens omnia, qua ventura erant super eum, processit & dixit eis: Quem queritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dixit illis Iesus: Ego sum: Illa vox Ego sum, est compendium omnium perfectionum, quæ in Deo elucescunt. Vox illa, Ego sum, a nullo nec in cælo, nec in terra potest proferri, nisi ab illo, cui data est omnis potestas in cælo & in terra qui in principio creavit cælum & terram, nisi ab eo in quo omnia, ex quo omnia, per quem omnia; hoc est, à solo Deo; Quicumque alius dixerit: Ego sum, mendax est, & veritas non est in eo. Quare Christus dicens: Ego sum, Deum se esse fatebatur. Ego sum, vox amabilis piis: ego sum pater vester, diligite filii: Ego sum magister vester, audite discipuli. Ego sum merces vestra magna nimis, laborate strenuè operarii: ego sum bravium, currite celeriter studiodromi: ego sum corona vestra; pugnate for-*

Matt. 28

Gen. 1. 1.

Io. 3. 3.

2. Ioan.

2. 6.

rite



titer, milites: ego sum vox formidabilis impiis: ego sum, expavesce peccator, eodem loco quo peccas, ego sum peccati spectator, peccatoris iudex, peccantis vindex. Quò fugies peccator, qui nusquam potes effugere: ego sum, in cuius horrendum est incidere manus: ego sum, qui ligatis manibus & pedibus projiciam te in tenebras exteriores: ego sum, qui possem & corpus, & animam perdere, & mittere in gehennam ignis. Sed ulterius fracto cortice, pertingamus ad nucleum. Pensaculatus expendamus has duas voculas ego sum: hic enim est aurifodina, fodiamus altiùs, & effodiemus thesaurum. Scio, ô Christe, per 40. & amplius sæcula omnes gentes, tribus, nationes, totum genus humanum tantis suspiriis experuisse, tot lachrymis & precibus supplicasse, tantoque desiderio expectasse, magnum illum Messiam, qui sanaret ægros, liberaret captivos, tolleret peccata, induceret pacem, redimeret homines, spoliaret inferos, aperiret cælos, tune es ille? Ego sum: ô me ergò feliciorum Patriarchis, beatiorem Prophetis, fortunatiorem omnibus retrò Regibus veteris Legis, qui tantum crediderunt, prædixerunt, expectarunt venturum, quem scio ego venisse, credo hic adesse. Quapropter cum hic certâ, & quâ nulla potest esse certior, fide te credam hic mihi adesse, eja negotiemur inter nos, & sermocinemur tantisper, tu & ego, soli sine arbitris, in silentio, in arcano secessu: habeo pauca, quæ te interrogem, tu responde mihi. Fuit quondam tempus, nec ita pridem, ante 80. annos, cum ego jacerem inter umbras, sine sensu, sine motu, sine vitâ, sine animo, sine corpore, sine naturâ, inane nihil: nihil eram, & totâ retro æternitate nihil fueram. Fuit verò aliquis, qui, quo fine, cur fecerit,

Hebr. 10.

31.

Matt.

22. 13.

Matt.

10. 28.

Christi  
in nos  
benefi-  
cia.



nescio, tu scis; sed fuit aliquis, qui coniectis clementer oculis misericordiae, in illam vastissimam inanitatem magni nihili, ex illa caliginosa abyfso, eduxit me in lucem, in municipium hoc mundi,

*Gen. 2.7* formavit mihi de limo terrae corpus, *inspiravit in*  
*Gen. 1.* *faciem meam spiraculum vitae, & factus sum homo, in*  
*28.* *animam viventem; iussitque me dominari piscibus*  
*maris, & volatilibus caeli, & universis animantibus,*  
*qua moventur super terram. Quis est ille; Ego sum.*  
 O amorem! sed pergamus porro, plura fors hinc eruemus, unde gaudeamus, & amore ardeamus. Vix emerferam ex illo tenebricoso antro magni nihili, cum oblitus factoris mei, quia creaverat me ad imaginem, & similitudinem suam, derisi Dominum DEUM meum, & æmulus Absalonicae impietatis, Patrem meum persequebar: quare in magno illo foro, reus læsæ majestatis declaratus, & condemnatus, trahebar ad locum supplicii, ducebar ad mortem, tendebam ad exitiū: actum erat de salute, conclamatum de vita, jam perieram; quia non erat qui servaret me, non erat ille que ad unum. Videbat hoc Rex quidam magnus (*quis ille fuerit, nescio, tu scis*) in cuius femore scriptum erat *Rex regum, & Dominus dominantium.* Ille depositâ purpurâ, descendit ex alto, induit vilem sacco, tradit se tortoribus, eripit me è carcere, solvit vincula: pro me sistitur iudici, morte turpissimâ condemnatur, moritur ipse & ego vivo. Quis est ille? *Ego sum.* O misericordiam! eras tu quondam sursum in horto voluptatis, in paradiso, ubi oves tuæ pascebantur in pascuis uberrimis, in pascuis pinguibus: habebas illic 100. oves, & ecce ovicula una deviavit, & subduxit se à grege. Tu hoc intellexeras, & confestim, Pastor bonus nimium, relictis 99. ovibus in deserto, ivisti,

& qua-



& quæſiſti eam quæ perierat. Ah JESU! compa-  
 tior tibi ſic fatigato, currenti per inuia, & devia,  
 per ſpinas & rubos, per dumeta & tesqua. Quem  
 quæriſ? ovem meam quæ periit. *Ego ſum*, Fuit qui-  
 dam, quem Pater tuus dilexit, & ſic dilexit, ut te  
 filium ſuum unigenitum ei daret, propter quem  
 voluit te 9. menſibus latere in Virginis utero,  
 poſteà jacere in præſepio, deinde circumcidi, po-  
 ſteà baptizari in Jordane, 40. diebus jejunare in  
 deſerto, & poſt 3. annorum labores, tandem vo-  
 luit te *tradi gentibus ad illudendum, flagellandum, &*  
*cruciſigendum*. Quæriſ jam? Quis eſt homo ille,  
 quem Pater ſic dilexit? *Ego ſum*. Ah JESU! fierine  
 poterit ut, à Patre dilectus, & ſic dilectus, non  
 ſim inter paucos electos? Tu propter me à Iuda  
 traderis gentibus, & ego à Patre tuo tradar tor-  
 toribus? tu propter me deſcendiſti de cælo, &  
 ego deſcendam ad inferos? tu propter me patie-  
 riſ, & ego peribo! tu propter me morieris, & e-  
 go non vivam? Scio JESU, tu eſ vita, ergò non  
 moriar ſed vivam.

Matt. 1  
 20.19

## §. XIX.

*Chriſtus proſternit hoſtes.*

**I**llud quod Iudas Chriſto dederat oſculum, erat  
 Iudæis, ac Romanis velut belli clafficum, quo  
 quaſi ſigno dato, conjuratis viribus eum adori-  
 rentur. Non hoc neſciebat, qui nihil non ſciebat,  
 Chriſtus. Quamobrem magnâ animi excelſitate,  
 tanquàm judicaturus, non judicandus, hoſtesque  
 ſuos comprehenſurus, imperterritus infanienti  
 militum cohorti ultrò occurrit, & voce magnifi-  
 câ, tanquàm Dominus rerum omnium interro-  
 gat; *Quem quæriſ? Reſponderunt ei: IESVM Naza-*  
*renum. Dixit illis IESVS: Ego ſum: & ſtatim abierunt 4.*

E 3

retro-



retrosum, & ceciderunt in terram. Hic cum Amos  
 Amos. 3. 8. luber interrogare: *Leo rugiet, quis non timebit?* Vox  
 illa non erat balatus ovis, erat rugitus leonis. Re-  
 è David de hâc voce, antequàm ex ore Christi  
 Ps. 103. 7. fuisset prolata, vaticinatus est: *A vocè tonitruu tuu  
 formidabunt.* Intonuit Christus, formidârunt ho-  
 stes Christi, & sic formidârunt, ut abierint retror-  
 sum: sic abierunt retrosum, ut ceciderint in ter-  
 ram. Christus in horto cum paveret, timeret, su-  
 daret, ostendit suam infirmitatem: extra hortum  
 ostentavit suam Divinitatem: ibi erat agnus, hic  
 leo; ibi apparebat homo, hic Deus. Venerat er-  
 gò Iudas ad Christum capiendum, munitus utro-  
 que brachio, Ecclesiastico, ac sæculari, ut si Chri-  
 stum tueri vellent discipuli, non auderent pro-  
 pter cohortem Pilati. Erat autem cohors, mili-  
 tum caterva constans 1125. peditibus, non nisi  
 strenuis, scientiæ militaris apprime gnaris. Hanc  
 cohortem habebat Pilatus in Ierusalem pro sui  
 capitis, & principatus tutela, & securitate ad  
 compescendas seditiones, & populares tumul-  
 tus. Hic ergò liquet, Christum fuisse captum,  
 quia capi voluit, non quia Iudæus potuit. Illi e-  
 nim ad binas illas voculas, *Ego sum*, quasi vento-  
 rum turbine dejecti, vel fulmine ex aère colliso,  
 afflati, vel tonitru è nubibus excusso, prostrati ce-  
 cidere: & qui venerant armati, cataphracti, soli-  
 dis viribus, firmo robore, repente nec stare in  
 gradu, nec consistere pedibus potuerunt; sed & Iu-  
 das, & Iudæi, & armigeri, & Romani, & singuli  
 illius nefandæ cohortis milites in terram prostra-  
 ti sunt, & sonitum super arma dederunt. Ibi ce-  
 cidèrunt quercus Balan: *Ibi ceciderunt qui operan-  
 tur iniquitatem: expulsi sunt, nec stare potuerunt.* Iace-  
 bat jam ad Christi pedes tota prostrata cohors.

Quid



Quid jam profunt vel consilia Judæorum, vel decreta Magistratûs, vel arma militum, vel funes satellitum, vel Judæ insidiæ, vel machinæ Jerosolymæ, vel machinationes totius Synagogæ? nemo se potest movere, nisi is, à quo vivimus, movemur, & sumus, det ut se movere possint, facultatem. Rectè Propheta: *Vidi impium superexaltatum, sicut cedros Libani: transivi, & ecce non erat.* Ps. 36. 33  
 Stabat illa cohors militum, missa à Pilato, & principibus Sacerdotum, fastu elata, robore firma, viribus formidabilis, ore minax, armis metuenda. *Transivi, & ecce non erat.* Quia vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros; superbos illos, & sicut cedros exaltatos ad solum collisit, in terram dejecit, ad pedes suos prostravit. sic ut jam non viderentur esse milites, sed cadavera militum. Quid ni hîc dixerim cum Sapiente: *Omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam illam bellatorum turmam, prosiluit, & prostravit?* nec prius erigere se potuerunt, quàm facta jam à Christo sese erigendi potestate; nec jam erecti, statim impetum in Christum fecerunt, sed stabant partim pudore confusi, partim stupore attoniti, partim timore pavidi: ignari quid agerent: donec secundò interrogati quem quærerent, isque respondisset se esse, ac mandasset ne qua discipulos injuria afficerent, dicens: *Dixi vobis, quia ego sum: Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Quasi dicat: Si jam percussi, non doletis, si viso hoc tam insolenti prodigio non movemini, si jam castigati, tamen nefanda consilia exequi decernitis, per me licet, comprehendite me. De his conqueritur Propheta: *Percussi eos, & non doluerunt: attrivi eos, & tenuerunt accipere disciplinam.* Jerem. 30  
 Peréat, peréat timendum



In peccando perti-  
nacia, ultima malitiæ  
linea.

dum est, qui cœlesti sæpè afflatu admonitus, mor-  
bo percussus, aduersitate dejectus, pertinax mala  
facere, dum mala patitur, ipsa Dei flagella con-  
vertit in peccandi instrumenta. Hi iudæi semel  
prostrati, postea erecti, necdum tamen correcti,  
abusi Dei, & parcentis clementiâ & punientis  
iustitia perstiterunt obstinati in malitia. Hæc  
quorundam est perveritas, ut ipsa Dei beneficia,  
sint ipsis gradus ad nova maleficia. Quid? ergone  
hæc una tibi erit ratio cur sis malus, quia Deus est  
bonus? ideo peccando te facies miserum, quia  
post peccata expertus es misericordem? ideo in  
delinquendo eris liberior, quia ipse in ignoscen-  
do est liberalis? ideo tu peccabis, quia ipse pecca-  
tores recipit? Audi insipiens Sapientis monitum,  
Eccl. 5. 5. & sequere consilium. *Ne adjicias peccatum super pec-  
catum, & ne dicas: Misericordia Dei magna est. Mise-  
ricors est Deus: dicit enim: Nolo mortem impii sed  
ut convertatur impius à via sua, & vivat. Sed & ju-  
stus est Deus; dicit enim: Impius in iniquitate sua  
moriatur. Misericors est Deus: Peccavi enim, & quid  
mihi accidit triste? Justus est Deus, quia dicit: Anima  
qua peccaverit, ipsa morietur. Misericors est Deus,  
quia Saulum persequentem Apostolos Christi,  
fecit magistrum mundi. Iustus est Deus, quia  
Pharaonem Hebræos insectantem submersit in  
profundo maris. Deus est bonus: fateor; tamen  
ob unicam offensam tot Angelorum myriades  
proscripsit cœlo, addixit orco. Deus est bonus:  
admitto: interim Dilatarit infernus animam suam,  
& aperuit os suum absque ullo termino. Deus est bo-  
nus: verissimum est: interim clamat: Multi sunt  
vocati, pauci vero electi. Spe erigor, dum video la-  
tronem admissum in paradysum: timore dejicior,  
dum cogito Iudam laqueo suspensum. Permissit  
tot*



tot Angelos ob peccatum unicum, æternum perire: tibi vili homunculo post innumera peccata parceret? tot pereunt quovis momento animæ, non poterit permittere ut tu, qui peritura seclatris, cum reliquis pereas? tuane anima pretiosior est, aut Deo charior tot aliis, quæ ob minora, & pauciora scelera æternis cruciantur tormentis? Dixit Christus: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* An propter te, qui es pulvis, & cinis, mutabit suum decretum? revocabit sua verba, & quasi pœnitentiã ductus, te non pœnitentem servabit incolumem? ô Christe, timeo, sed & spero, quia justus es, & misericors; tua Divinitas mihi timorem incutit Humanitas ad spem erigit. Leo es de tribu Iuda: quis non horreat? Agnus es, qui tollis peccata mundi: quis non speret? Iudæos uno verbo dejecisti in terram: quis non paveat pœnitentiam? ab iisdem si visti te capi, & ligari: quis non stupeat clementiam! Iustus es, & ideo metuo judicem: misericors es, & ideo diligo Patrem: fac, ut timor sit mihi frænum, ne te offendam, & amor sit calcar, ut tibi placeam. Sic & justitiam tuam declinabo, & *miser ricordias tuas Domine in æternum cantabo.*

Luc. 13.

15.

Ps. 118.

## §. XX.

**P**etrus educto è vagina gladio, Christum satagit defendere, Malchum percussit.

**S**tabant jam erecti, Christi imperio, qui ejus potentia fuerant prostrati; sed illi, ejus & potestatis punientis, & benignitatis patientis obliti, jam illi manus injicere moliebantur. Quid interrim Apostoli? *Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine si percussimus gladio? Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit*

Luc. 22.

49.

Ioan. 18.

1.

E 5

eum,



eum, & percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servi Malchus.

Petri in  
Christo  
defen-  
dendo  
audacia

Discipuli, qui Christi stipabant latus, conspicati Judam, cohortem, ministros, faces, laternas, gladios, hostes, timore pavidi, ut pulli, sub alas gallinæ se recipiunt, ubi milvum viderint insidiantem; ita illi ad Christi fugiebant patrocinium, tutissimum contra quosvis hostes perfugium; cum verò observarent, jam non esse minas, sed ferid Christum, seque omnes cum Christo capiendos; volentes obviam ire ipsorum furori, dixerunt: *Domine si percussimus gladio?* quid prodest affixus lateri gladius, si nullus sit ejus usus? erant memores Christum dixisse: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam præbe illi & alteram. Benefacite*

Matt. 5.

Luc. 22.

36.

*his, qui oderunt vos. Qui habet (scilicet laccum & peram) vendat tunicam suam, & emat gladium. Dubii ergo Christum interrogant: Domine si percussimus gladio? quid videtur? resne agenda ferro? si annuis; habes hîc tres selectos milites, non tantum erga te fideles, sed pro te fortes: si certamen paveant cæteri, superest Petrus, qui pro te non tantum non metuit periculum moriendi, sed ipsam ambit mortem. Jesus autem, qui illo tempore, gladio illos uti non agrè ferebat, donec se periculo exemissent Apostoli, filebat. Interim Petro masculus in venis saliebat sanguis: totus ergo excandescere, & pio furore percitus, Christi silentium interpretatus esse consensum, (nam qui tacet, consentire videtur) ad Jacobum & Joannem conversus, exclamare, *Arma viri capite, arma viri. Quid? Judæus capiet Christum, capiet inquam Judæus Christum, & hoc spectante Petro? non patiar: ducitque machæram fulmineam, eamque per aërem totis lacertis vibrans: Hodie,**

Virg.  
Æneid.

inquit,



inquit, vel cadam, vel cædam. Semel cecidit hæc colluvies verbo Christi, cadet iterum ferro Petri. An frustra portat Petrus gladium? sciet Judæus, sciet & Romanus ambidextrum esse Petrum, posse & cum Christo piscari, & pro Christo gladiari. *Et nos telapater ferrumque haud debile dextra, spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.* Age Petre, aggredere facinus: non potes errare, seu occidas, seu occidas: si occidis, cadet debita furori victima; si occidis, cades pro Jesu amoris hostia. Perinde est seu moriar, seu vivam, modò vivat Jesus. Faciam. Luna hæc nocte videbit cadentem, Christi vel hostem, vel vindicem. Dixit, nec mora pro Christo fortiter audax, ore minax, promptusque manu, validusque lacertis, latè vibranti ferro invadit confertos hostium cuneos. Primus illi occurrit Malchus; ille religioso indulgens furori, torosos erigit lacertos ferro armatos, medium fissurus caput: cùm enim esset piscator, promptior erat cæsum, quàm punctim ferire; sed quia fors alter caput galeâ munitum habebat, casu, vel potius Christi consilio, casum elusit, unde auriculam dexteram præcidit. Sed quid agis Petre? nunquid tu es petra illa, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam, hoc est, nunquid tu fundamentum es fidei? cur ergò auriculam tollis? quomodo credent, si non audiant; quia *fides ex auditu*: & quomodo audient, si careant auribus? tu fidei Magister debes potissimum servare hominum aures, & illas præscindis? sed hic reconditum latet in hac auricula mysterium, quod exponit his verbis Euthymius: *Ablata est servo Pontificis auricula, in signum quòd Principes Sacerdotum præ invidia auditu privati essent, ne audirent, & intelligerent eas, quæ de Christo erant, prophetias.*

Virgil.  
Æneid.

Rom. 10.

17.

Plu-



**Auris dextra** Plurimos non tantum inter Judæos, sed & Catholicos invenire est Malchos, quibus integra est auris sinistra, sed abscissa dextera. Si quis aliquem verborum contumeliis laceret, alterius famam lædat, convitiis insectetur, & petulanti lingua traducat: si quis Nasonis metra legat, Poëtarum commenta, & fabulas narret, aurem sinistram erigunt: hic acutissimi sunt auditus, imò toti aures. Dicat Christus: *Adolescens, tibi dico, Surge: vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.*

**Luc. 7. 14.** Est Malchus, non audit nisi sinistra verba; abscissa est auricula ejus dextera. Ita multi sunt, qui libentius audiunt epistolas Ovidii, quàm Pauli; carmina Virgilio, quàm Evangelia Christi: Poëtarum fabulas, quàm sacras Regum historias. Hi sunt *magistri illi prurientes auribus*, de quibus Paulus, qui à veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur. Cavete ne vobis præcidatur auricula dextera; illa enim est salutis janua; quia si fides per auditum, & salus per auditum; nemo enim fit compos salutis nisi placeat Deo.

**2. Tim. 4. 3.** *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Audiant ergò verba Salvatoris, ne excidant salute. Dicam cum S. Augustino: *Sileat tumultus carnis, sileant phantasia terra, & aquarum, & aëris, sileant & poli, & ipsa sibi anima sileat, & transeat se, non se cogitando: sileant omnia, & imaginaria elevationes, & omnis lingua, & omne signum quod transeundo fit, & loquatur per se solus, qui fecit ea, non per ea sed per semetipsum, ut audiamus verbum eius, non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, neque per sonitum nubis, neque per ænigma similitudinis, sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus.* Vides jam Domine, omnium aures in te unum esse conversas: jam quietum silentium continet omnia, loquere Domine, & te loquen-



loquente, si quis jacet hic paralyticus, surget, & tollet grabatum suum: si quis cæcus, respiciet: si quis leprosus, mundabitur: si quis mutus, loquetur: si quis claudus, ambulabit: si quis surdus, audiet. Tibi patent omnium aures, imò & mentes. De te canemus, loquemur, cogitabimus, *quia nil canitur suavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius, quam Iesus Dei Filius.* Quid mirum? Quando cor nostrum visitas, tunc lucet ei veritas, mundi vanescit vanitas, & intus fervet charitas: ut ergo illa ferular, tu loquerè, & ut te loquentem audiam, silebo ego.

S. Bern.

## §. XXI.

## Reprehendit Christus Petrum.

**U**T vidit Christus Petrum ferro armatum, sic coram se, & pro se cum hostibus congregentem, sic eum arguit: *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* quasi diceret: Mi Petre; cesset indignatio, comprime iram, compefce furorem, cohibe impetum. Non Iudas proditor, non Annas sacrilegus, non irrisor Herodes, non injustus Præses hunc calicem mihi propinat. Hic calix mittitur è cælo, non è terrâ: à DEO, non ab homine: à Patre, non ab hoste. O ingens in omni afflictione solatium! si quid mali pateris, DEUS non tantum ut patiaris permittit, sed cupit. Tu roderis malevolorum dentibus, laceraris contumeliis, proscinderis convitiis: O amarum, inquis, calicem! tu horres illum ut toxicum, & est tibi pharmacum: illum calicem tibi proponit non homo ille maledicus, sed cælestis medicus. Ego ad illum dignitatis gradum aspirabam, ut tandem respirarem: nihil non egi, & tuli, ut illo potirer, & ecce, me post-

Matt.  
26. 12.  
Ioan. 18.  
II.Adversa  
à DEO  
immit-  
tuntur.



postposito, alius præponitur, & ego spe excidi: ô malum intolerabile! imò ô bonum incredibile ille quem aspectabas gradus, fors fuisset animæ interitus. Non est dedecus contemni, sed facere contemptibilia. Contemne tui ipsius contemptum, & dic arrogantæ obgannienti: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* toties bibisti, & ebibisti calicem, quem dedit tibi Bacchus, quem Venus, quem Plutus, animæ tuæ hostis, proditor, tortor, & rejicis calicem, quem dat tibi Pater; Da Pater quem mihi offers calicem: submississimâ totius tum corporis, tum animi reverentia me prosterno, ut de manu tuâ accipiam calicem, & cum summa veneratione manû dantis exosculabor: & ut tollatur illa, quæ in illo calice est amaritudo, supponam hunc calicem sacratissimæ tuæ fronti; ut in eum stillet vel gutta tui sudoris: supponam amabilissimis tuis oculis, ut in eum defluat vel unica lachrymula: scio enim quia lachrymatus es IESU. Supponam & lateri tuo quod lancea aperuit, ut decidat gutta sanguinis: satis enim est ad tollendam omnem amaritudinem mei calicis vel gutta tui sanguinis. Sic bibam calicem, quem dedisti mihi Pater, & frater meus, ut illo exhausto, introduces me in cellam vinariam, ubi torrente voluptatis tuæ potabis me, & inebriabor ab ubertate domus tuæ.

## §. XXII.

*Fuga Discipulorum.*

**Matt.** **P**ostquàm Christus intempetivum Petri zelum paternâ admonitione corripuisset, à  
**26. 55.** Discipulis suis conversus ad hostes suos, dixit: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & lignis comprehendere me? quotidie eram apud vos in templo do-*

genti



*cens, & non me tenuistis; sed hæc est hora vestra. & potestas tenebrarum.* Haecenus à vobis capi nec mihi libuit, nec vobis licuit : necdum enim venerat hora mea, sed jam ut capiat, & mea voluntas, & vobis est potestas; quia *hæc est hora vestra* : accipite ergo manus, & vincite; accipite brachia, & ligate: accipite totum corpus, & injicite funes, & vincula; ducite, trahite, cadite. Fecit me vobis prædam amor in vos, *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Non sine divino afflatu scripsit Evangelista illam voculam, *Tunc* : quia summi est momenti. *Tunc* fugerunt, cum ipsi essent injecta vincula: *Tunc* fugerunt, cum oportuisset eos maxime stare: *Tunc*, cum decuisset ut milites pro suo duce, ne caperetur, eum propugnare: *Tunc* fugerunt, cum debuissent, si unquam, ostendere suam in Magistrum reverentiam, in Dominum fidelitatem, in amicum constantiam, in patrem amorem: *Tunc* fugerunt, cum illorum & solatio, & auxilio potissimum Christus indigeret. Cum Christus accumberet mensæ in ultima cœna, aderant Apostoli omnes, fugerat nemo: paulò post dum cœpit tristari, & tædere, aderant tres : deinde cum jam esset capiendus, aderat solus Joannes, qui & relicta sindone profugit. Tandem cum esset captus, nemo aderat. Tunc Christus traditus in manus peccatorum, videbat à dextris, ubi esset Petrus? abierat: à sinistris, ubi Joannes? discesserat: retrò, ubi Jacobus? aufugerat: ubi omnes amici? *relicto eo, fugerunt omnes.* O Cosmophile! noli tibi blandiri, nec glorieris nimium in gtege, qui latus tuum stipat : quàm diu vales, & vivis, & polles opibus, turba te sequetur hominum : paulò post ubi lethali morbo affixus lecto decumbes ; quando appropinquabit novissima hora,

ade-



In morte omnes & omnia à nobis fugiunt.

aderunt pauci aliqui, spe ad eundem hereditatis affectu; tandem ubi mors oculos clausit, tunc te solo relicto, fugient omnes, & omnia: fugiet perspicacitas ab oculis, robur à labiis, venustas à genis, fortitudo à manibus, agilitas à pedibus, vigor omnis à membris omnibus. O quam tibi erit acerba ultima vitæ hora, rerum omnium fuga! tunc, quando jacebis in lecto doloris: tunc, quando eris in extrema necessitate: tunc quando sudabit frons, pallefcet vultus, frangentur oculi, filebit lingua, frige bunt manus, rige bunt pedes, anhelabit pectus, stupebit animus, formidabit spiritus, affligetur corpus: quando angustia tibi erunt undique: tunc, quando maxime indigebis solatio, auxilio ope, & opera mundi: tunc, in ultimo illo articulo temporis, in postremo vitæ momento, quando exhalabis spiritum, fugiet mundus, & omnia quæ sunt mundi. Tunc fugiet ab ambizioso honor, à superbo gloria, ab avaro opes, à lascivo voluptas, ab erudito scientia: tunc fugient à magistro discipuli, à parente liberi, à domino famuli, à duce milites, à rege subditi: imo tunc fugient à peccatore misero omnes, qui possent misereri: fugient Angeli, fugient cœlites, fugiet mater misericordiae Maria, fugiet Pater misericordiarum Jesus, fugiet Deus. *Siccine separas*

1. Reg.

15. 32.

*amara mors?* siccine separas ab omnibus quibus adhæsi? à patria, ubi cœpi vivere? à domo, quam incolui? à musæo, in quo studui? à strato, in quo quievi? à triclinio, in quo pastus sum? à vestibus, quas indui? à parentibus, qui me genuerunt? ab amicis, quos dilexi? ab omnibus hominibus, quos novi? tunc relicto te solo fugient omnia. Fugient relicto te: ubi relicto? corpore in tumulto, anima in tartaro. Tunc anima in medio tormento-

tum



rum sola, respiciens omnia præerita, & videns fugisse omnia, horrendum ululabit, & cum im-  
 menso quodam fragore vocis, stridebit dentibus, & implens totum aëra questibus, exclamabit cum illis apud Sapientiam: *Transierunt omnia illa tanquam umbra*, transierunt omnia illa propter quæ exhausti omnes vires corporis, animi, industriæ, ingenii: propter quæ tot subii pericula, tot devoravi tædia, tot pertuli incommoda, tot exantlavi labores: *Transierunt omnia illa*, propter quæ tot noctibus vigilavi, tot diebus me occupavi, propter quæ tot à me scripta, dicta, facta, cogitata: propter quæ totius ætatis tempus omne impendi, & jam in æternum perii. *Transierunt omnia illa tanquam umbra*: tam citò, tam celeriter, cum tanto meo dispendio, in ictu oculi, in momento, in puncto. *Transierunt omnia illa*, relicto me solo inter æterna supplicia. Ergo hoc nunc decerno, cum transeat mundus, & concupiscentia ejus, & cum transitura sint omnia, vale munde, salve Christe. Venit hora, & nunc est, ut transeam ex hoc mundo ad te patrem meum, qui es Salvator mundi. Dixisti: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Si cælum & terra transibunt: *quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare JESUM. Quia ergò semel transibunt omnia, ad te jam transeo, DEUS meus & omnia.

## §. XXIII.

*Christus capitur.*

**P**ROPOSITA fuit nobis in priori puncto, retum omnium in morte fugacitas: hic proponetur iterum omnium post mortem æternitas. Postquam

Vanitas  
 omniū  
 rerum.  
 S. p. 5. 9.

Luc. 21.

33.

Pf. 72. 25

F

quam



quàm proditor Judas dederat Judæis signum, quem caperent, postquàm fugerunt à Christo discipuli, impetu facto in eum irruerunt milites. *Matt. 26. 50.* Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in IESVM, & nuerunt eum. Hic exoritur clamor, hic rabies, hic furor, hic impetus, hic vincula, hic verbera, Christus igitur manibus post terga reuinctis, collum torque ferreo constrictus, catena circumligatus & fune longiori brachiis inserto, seu rabiosus canis in urbem media nocte raptatur, horribili canum tenarum stridore, armorum crepitu, armatorum strepitu, satellitum tumultu, canum latratu, linearum clamore, Judæorum cachinnis. Excitata plebs è strato ad fenestras advolat, inquitur, respondetur, applauditur: confuso, ac incondito tumultu urbs tota perstrepat, fremit, frender. Magnus mansuetus per tribunalia circumducitur tanto impetu comprimente turba, ut potius tereretur quàm ageretur. Ab Anna interrogatur, Caipha damnatur, ab Herode illuditur, à Pilato flagellatur, à militibus crucifigitur, à singulis omnibus deseritur. Ecce quot mala post osculum Judæ, post fugam discipulorum! Hæc omnia venient super te, ô peccator, si moriaris in peccato. Post acceptum perfidum in hac vita à mundo osculum, post fugam in fine vitæ à te rerum omnium, sequitur terribilium omnium terribilissimum, malum summi mali, infelix æternitas. Sicut statim ubi fugerant à Christo discipuli, accesserunt milites, & apprehenderunt eum, ac ligaverunt: ita statim ubi fugit à te vita, fugerunt homines omnes; statim ubi transierunt omnia, accedent eodem momento dæmones, & de capta præda sibi applaudentes, gratulabuntur sibi, &

Æternitas peccatorum, apex omnium malorum.



centes: *DEVS dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat. Quis tunc te eripiet ex istorum rabidorum hostium manibus, ac luporum dentibus, ex leonum unguibus? Quidquid ibi patieris, erit perpeſſu intolerabile, & quidquid erit intolerabile, erit æternum toleranti. Erit intolerabilis in stomacho fames, in faucibus sitis, in auribus clamor, in capite dolor, in dentibus stridor, in ossibus ardor, in artubus tremor, in tota anima angor, in toto corpore dolor: & tamen hæc singula erunt æterna. Quamprimum infausta anima egreditur è corpore, & ingreditur terram illam tenebrosam, & opertam mortis caligine, tunc adamantinis seris clauditur tibi Infernus, & ne possit unquam aperiri, tollit secum claves is, qui de se dicit: *Habes claves mortis, & inferni*. Tunc horrendè clamabis, & miserabiliter vociferaberis, & tanquam rabidus canis ululabis, & jugiter pulsabis, dicens: *Domine, Domine aperi nobis*. Respondetur tibi fatuo à divina Justitia, quod fatuis virginibus: *Clausæ est janua*. Clamabis ad cælites, & cælitum misericordiam, *Miseremini mei, miseremini mei*. Respondent illi: *Iob. 18. Clausæ est janua misericordiæ: itaque æternum eris miser. Convertes te ad Spem; Spes saltem non confundit. Audies: Clausæ est janua omni spei. Itaque æternum desperabis. Convertes te ad solatium, petens ut quis intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam tuam. Dicetur tibi: Clausæ est janua omni solatio: itaque desolatione æterna desolaberis. Optabis saltem una hora respirare, & quiescere: frustra, Clausæ est janua omni quieti: itaque non habebis requiem die, ac nocte. Optabis saltem hanc tibi conferri gratiam, ut possis semel contrito corde dicere: Peccavi: nec tanta**

Ps. 70. 11

Apo c. 1.  
18.

Matt. 25

Iob. 18.

25.

Rom. 5. 5

Luc. 16.

Apo c. 14

11.



tilla gratia indulgetur: quia *Clausæ est janua* omni gratiæ. Uno verbo quamdiu Deus erit deum nunquam vel unico momento quiesces, aut respirabis: quia *Clausæ est janua* omni bono aperta omni malo, semper ureris, nunquam comburearis: pati semper incipies, nunquam desines, *ô* *v*erè vita mortalis, mors vitalis! ubi homo uritur non extinguitur: moritur, & vivit, deficit, & subsistit. Quid gravius quàm semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam erit? in æternum patietur, quod non vult. Credenè hoc? Non credo te credere, vel si credis, infidelis, qui sic vivis. Estnè adhuc dubitandi locus, hæc credis? estnè gutta sanguinis in venis, est sensus, qui non stupore, formidineque obrigescat? quo non æstu rapi, inquam admiratione venire debemus amentia, furoris hominum? quid dicis de te ipso? ubi nunc es? quomodo non exclamas? *O me miserum!* quid hæctenus egigone? *ô infelicem!* quàm immensum pondus malorum! quàm omni ex parte infinitum! quàm sine numero, quàm sine fine? & quorsum mentigratia. Ego unius horulæ causa, quæ præterit, quæ evanuit? ego Christianus sic peccatum momentum æternitati prætuli? *ô stultum!* *ô mentem!* *ô furiosum!* violata ergo, pessumdata funestata virginitas mea, amissa innocentia, pudor amissus, Deus amissus, perdita omnia! *Christiani!* incumbit vertici vestro pondus immensum æternæ æternitatis. Clamo ad vos, quod secum clamabat noctes & dies B. Cæsarius Arlatensis præsul. *Duo sunt, nihil est medium: duo sunt aut enim in calum ascenditur, aut in infernum descenditur.* Nos sumus medii inter hæc duo: sursum est cælum, deorsum Infernus: supra caput æterni



ras, infra pedes æternitas, utrimque æternitas: hic rerum omnium vanitas. Vide quid eligas: semel malè elegisse, æternùm periisse est.

## §. XXIV.

*Ad Annam deducitur.*

**D**Eus Incarnatus, Christus Jesus, magnum in nos exhibuit amorem Mundum procreando, quia tunc plurima largitus est nobis beneficia: majorem tamen prodidit amorem redimendo, quia tunc maxima pro nobis passus est supplicia. Majoris siquidem est amoris argumentum, pro amico. Pertulit Christus mala, contulit bona, ut hoc ejus sequereris consilium, monentis: *Declina à malo, & fac bonum.* Tu interim, qui inclinato capite tradidisti spiritum, ut ego *inclinarem cor meum in testimonia tua: inclina aurem tuam ad preces meas*, ut intelligam pœnas tuas, & diligam summum Bonum, qui pro me passus es summa mala.

Jam cœli terræque Dominus permiserat se capi, quem cœli cœlorum capere non possent, ut paulò post *captivam duceret captivitatem: & ecce milites cum suo tribuno, & cæteris Judæorum ministris, Adduxerunt eum ad Annam primùm; erat socer Caiphe, qui erat Pontifex anni illius.*

Molestum, juxtà ac ignominiosum erat hoc Christi ad Annæ domicilium iter: enim verò hortus Gethsemani, in quo captus fuerat Christus, distabat leuca una à domo Caiphæ: in via autem sita erat domus Annæ, ideo illius honorandi causa, milites urgentibus Judæis, primùm ad ejus ædes adduxerunt Christum. Sic Rex regum manibus post terga revinctis, catena collo imposita, capite nudo, corpore curvo, nunc funibus tractus, nunc fustibus impulsus, tunc pedi-

Ps. 36.

27.

Ps. 118.

36.

Ps. 87. 3.

3. Reg.

8. 27.

Eph. 4. 8

10. 18. 13.



bus conculcatus, summa festinatione ad domum  
 Annæ contendebat. Ibi grex ille satellitum ex te  
 terrima Judæorum colluvie sejectus, relicta regi  
 semita, quo majori viarum compendio utantur  
 per loca saxis aspera, dumis horrida, ascensu ar  
 dua, nunc ad sinistram, nunc ad dextram raptantur.  
 Quoties cum huc, illuc, ab his, ab illis traheretur  
 nec posset per vincula se commovere, coactus  
 est in terram procidere; unde cum tam subito  
 erigere non posset, crudeliter à barbaris satelliti  
 bus, pecudis ritu trahebatur; ita ut verè illud De  
 vidis usurpare poterit: *Ex omni parte me angustiant*  
*premunt.* Adduxerunt autem eum per portam au  
 ream, templo proximam: quæ alias dicitur Pro  
 batica, vel ovium porta, per quam sex diebus an  
 tè, tanto totius civitatis congratulantis plausu, &  
 festiva acclamatione, & palmarum ac substrata  
 rum vestium honore, & pompâ fuerat exceptus.  
 Ubi jam fuerat urbem ingressus, tanto vociferan  
 tium militum strepitu, & incondito tumultu ex  
 citi cives omnes, mox accurrere turmatim, totam  
 civitas nocte concubiâ commoveri, exultare ob  
 captam prædam, portæ, fores, fenestræ, vici, com  
 pita omnia exundantium hominum multitudi  
 ne compleri. Quot hic auditi per plateas sibi  
 quot probrosa verba, quot ab insanis sannioni  
 bus jactata in Christum scommata? Hic meta es  
 sto; antequam ingrediaris Annæ domicilium: sta  
 viator ad vestibulum, & viæ hujus molestissimæ,  
 quam Christus inivit, causam discute. Causa non  
 quasi ignota quærenda, sed ut obvia est expen  
 denda. Circumspexerat filius Dei, ex immensa æ  
 ternitatis specula omnes per totum orbem diffu  
 sas Academias: perspiciebat tot distinctos nepo  
 tes, cincinnatos gancones, calamistratos gnato  
 nes.

1. Paral.

21. 11.



nes, filios tenebrarum, in tenebris concubiâ nocte per plateas debacchantes, tumultuantes, digladiantes: videbat tot procaces, & salaces procos ad fores amasiæ totam noctem blandè lenocinantes; alios cum citharis, & nabliis, cum fistulis & tympanis, Mœnadum ritu, solum pulsantes: alios nescio quàm insaniam insanientes. Hæc prospiciens de machinâ Filius DEI, ut horum expiaret scelera, descendit ad nos, factus viator, ne deviarent peregrini: summo furore noctu trahitur, ut nocturnos illos erroneos ad se trahat: raptatur cum dedecore per plateas Jerusalem, propter eos qui rapiuntur per plateas Babylonis: ab omnibus illuditur, propter eos qui noctu ludunt ludos insolentes. Sic tu Christe qui dixisti, *Ego sum via*, ambulâsti vias difficiles, propter eos qui veloces sunt ad currendum per viam latam, quæ ducit ad mortem, donec lassati in via iniquitatis deficiant in via. Tu via, sine qua devio, sine qua erro, sine qua declino à calle salutis, me ovem errantem, & seductam reduces ab errore ad viam; adducas à peccato ad gratiam; deducas ab exilio ad patriam.

Ioan.  
14. 6.

## C A P U T II.

### Christus in domo Annæ.

#### §. I.

*Interrogat Annas Christum de discipulis.*

**A**Mbulaverat per vias invias cum iniquis is, qui omnem viam iniquam odio habuit, & qui est via, cum admissus in domum Annæ, hoc est officinam nequitia, interrogatur de Doctrinâ, qui est Veritas, &

Pf. 118.

128.

F 4

cædi-